








JACOBI STELLINI

C. R. S.

IN GYMNASIO PATAVINO

Ethicae Profeſſoris


DE ORTU & PROGRESSU

Morum, atque opinionum ad mores pertinentium ſpecimen.



VENETIIS

Superiorum Permiſſu.



ANGELO EMO

SENATORI AMPLISSIMO



JACOBUS STELLINI

F.

*Eve ſpecimen, quo morum, & opinionum de rebus expetendis ortum, atque progreſſum ex evolutione facultatum humanarum ducere conatus ſum, ut inſcriptum prodeat, Senator Ampliſſime, glorioſo, & illuſtri nomine tuo, magis impetu quodam animi, quam ratione,*

& conſilio factum eſt. Non enim tam cogitavi, tuae quid & ſummae dignitati, & prudentiae rerum eximiae conveniret, quam beneficiorum tuorum ſpecie mihi aſſidue obverſante in hanc mentem impulſus ſum, ut, qua ratione poſſem, profiterer, nihil mihi fortunatius accidere potuiſſe, quam ut ei multa debeam, cujus aeque beneficiis ornari jucundum ſit, ac judicio graviſſimo non indignum hiſce omnino putari perhonorificum. Etſi vero ſpectaſſe magis videar, quid eſſet mihi ad commendationem hominum profuturum, quam quid amplitudinem tuam deceat, atque ſcientiam rerum maximarum; nihil tamen alienum feci moribus tuis. Nam te perſaepe dimittis a dignitate tua, vultumque ponis viri principis, ut hominum congreſſu liberiore fruaris, & quidquid in iis eſt cognitione dignum, alacrius expromendi poteſtatem facias eiſdem, addaſque animos. Multo enim gratius tibi, jucundiuſque eſt animi virtutes, opeſque mentis explicare, quam magiſtratus inſignia; deque viribus ingenii cujuſque judicare, quam de capite, fortuniſque civium. Quod cum difficile ſit, atque etiam periculoſum ei, qui praeter ornamenta dignitatis vix quid-

quam

quam proprium, ac suum habeat, id expeditum est, ac tutum tibi, qui magnitudine, acumine, ac maturitate ingenii singulari praeditus, omnique doctrina homine nobili digna, & rerum omnium experientia diuturna instructus, auctusque es. Tanto enim suspiciendus magis videris, quo propius agnosceris, impedimentis omnibus amotis, quae vaporum, more dum magnitudinem augent, lucem nativam intercipiunt, atque hebetant. Nam te ad omnia, quae belli, ac pacis rebus ornamento sunt, ac praesidio, natura finxit, & incredibile studium excitavit; in omnibus assiduus erudivit usus, reique fortuna publicae exercuit; ut nulla praeter caeteras in te virtus emineat, sed una omnes natae, ac adultae sese mutuo regant, atque perficiant: potiorem nullam habeas, sed, ut cognatione conjunctas decet, aeque omnes diligas, aeque omnes colas, & in magnum aliquod patriae tempus conferas. Quare, quod mirum oppido visum est, tam facile tibi, promptumque fuit, in periculis praecavendis prospicientiam, subeundis constantiam, depellendis invictum animi robur edere, quam in negotiis gerendis fidem, expediendis dexteritatem,

conficiendis industriam, ac diligentiam; ut & salutem communem virtute defenderis temporibus difficillimis, & publicae tranquillitatis atque otii diuturnitati consilio provideris. quae cum maxima sint, egregia vero fuisse necesse est adjumenta illa, quibus ad haec tanta contendisti. Sunt autem excelsitas, & magnitudo animi, celeritasque mentis, & prudentia perspicax instrumenta ea, quibus magnae res, ac difficiles expediri, & confici solent. Alterius est ad summa conniti, parva transilire, difficultate nulla terreri, nulloqae labore frangi, nihil acerbe, nihil avare, nihil arroganter agere, magnificentiam praeferre in moribus, atque despicientiam rerum humanarum. Nam morosus in parvis, & anxius ipse se impedit, aditumque ad magna obserat; concitatus, & insolens omnia disturbat, augetque difficultates; restrictus, & angustus, dum pensiculate, timideque cavet, ne quid frustra perdat, opportunitates amittit saepe rerum maximas. Alteri vero attributum est, ut idonea prospiciat ad agendum tempora, rei gerendae viam, & rationem omnem explicatam, & comprehensam teneat; eorum quibuscum transigendum quidpiam est, in-

genia,

genia, mores, sensus animi, studia, consilia exploret omnia, callideque introspiciat. Nam si quis haud norit eum, quem aggredi instituit, plerunque repelletur, quippe qui nesciat, qua parte praesertim adeundus, & quibus artibus oppugnandus, ille sit; ac si rerum quasi contextum ordinate descriptum intelligentie non complectatur, opportuna transmittet, intempestiva obtrudet, praepostere multa molietur confusis consiliis, ordine perturbato; magnoque conatu multa movens nihil promovebit. Qui vero ad suscepta negotia utrunque afferat, praestantem animum, excellensque ingenium, hic in eos equidem dominatur, qui tractandi sibi obtigerint, ac rerum exitus sua quodammodo in potestate habet. Siquidem ea maximi animi, consiliique summi vis est ut homines etiam natura feros, & elatos rebus secundis splendore suo capiat, ac sibi deditos habeat; ut, quae neque vi sibi, neque ratione ulla extorqueri paterentur, ea vel aequitate victi ultro deferant, vel animi propensione, ac studio molliti e manibus elabi sinant. Quae qui cogitet, ei minime novum videri potest, si, qui possides virtutes has insitas genti tuae, majorum exempla a vi-

ro summo Joanne fratre renovata continuasti, ac perfecisti, ut a populis etiam barbaris honos habeatur generosis moribus exterorum; & ab iis ipsis, qui cupiditate, ac potentia metiuntur omnia, utilitati aliquando praeferatur aequum, & bonum. Ac ne dotes hasce magis elicuisse amplitudo, ac splendor rerum gerendarum, quam ipsa ultro effudisse natura tua videretur, singulari fato quodan, accidisse arbitror, ut novi, ac molesti labores tibi suscipiendi fuerint eo tempore aetatis, quod a natura tributum est viris optime de Republica meritis ad honestam quietem, & voluptatem eam perfruendam, quae capitur ex recordatione rerum praeclare gestarum, & auctoritate tanta, quanta in bene morata civitate virtuti, & consilio tribui solet. Atque ita quidem in eo munere te gessisti, ut incommoda diuturna valetudinis infestae magnitudine animi superaris; quidquid ab ea temporis subtractum negotiis est, diligentia restitueris, communibusque commodis providentissime consulueris, neque siveris, ut iniquitati temporum aliud liceret, quam quod necesse fuit, hominique prohibere datum non est. Ab hac igitur tanta virtutum indole, tamque experrecta

ad

ad ea etiam, quae plus laboris, quam admirationis habent, quid alienius unquam sit, quam pompa, e fucus? quidque magis illi expetendum, quam ut pure, dilucideque prodeat, apparatu nullo impedita, nulloque molimine gravis? Quapropter nihil te facilius, nihil comiius, nihil humanius, ob eamque rem nihil mihi nunc opportunius. Opus enim praesertim humanitate tua mihi est ad hanc rem, quam sisto tibi, ac nuncupo; quod ea vix aliud sit, quam adumbratio quaedam argumenti, si Deus incoepto faveat, latius explicandi, quo cupiditatum humanarum, eorumque bonorum series ordine pertexetur, quorum vulgares homines, & philosophi ipsi vel informarunt inanem speciem, vel perturbarunt gradus. Qua in re id percommode accidit, ut sese a capite ipso dent obviam suis quaeque locis sententiae eae, quae jura naturae foedissime confuderunt, ac morum leges ad affectionem animi cujusque propriam accommodarunt; rerumque ordo palam faciat, quid in radice ipsa vitii lateat; ac si quid ab aliquo recte, splendideque dictum videatur, cum manifestum sit illud ex fonte corrupto manare, non ideo recte sentire eum quispiam putet, quod vera

quae-

quaedam proferat. Non enim quid quisque dicat, attendendum est, ut fere fit a plerisque, sed ex quo fonte hauserit, investigandum: neque si qui verbis, iccirco re etiam convenire putandi sunt. Sed haec alterius & loci, & temporis. Quod huc maxime facit, illud est, ut te obsecrem, ne hoc, quodcumque est, alio vultu suscipias, quam quo soles omnia; meque benignitate ea foveas, qua tua virtus omnis condita est. Caeteras animi tui dotes admirantur universi, hanc autem diligunt; quod illae magnis rebus addictae sint, haec opportuna cuique pateat. Efficiunt illae quidem, ut boni omnes te diu patriae, sed haec, ut te diu sibi quisque incolumem optent. Illarum enim utilitas ad singulos e longinquo pertinet, ad easque non omne tempus accommodatum est; hujus autem usus unumquemque proxime attingit, eique nunquam occasio deesse potest.

De



De ortu & progreſſu morum & opinionum ad mores pertinentium.



ETſi populorum ſcitis & inſtitutis ab honeſtate ſaepe alienis, & philoſophorum opinionibus, atque decretis inter ſe diſſidentibus extenuari momenta nequeant earum legum, quibus humanae gentis vitam atque ſocietatem contineri debere univerſa natura monet; ea tamen colluvies morum, ac praeceptorum caliginem tantam offudit rationi, tamque foedam inuſſit vitae labem, ut aegre altera disjici, altera detergi, diluique poſſit. Quare ne gentium moribus, hominumque ſententiis ii tribuant nimium, quibus ſatis eſt, eſſe quidpiam in more majorum poſitum, aut etiam ſcriptoris, qui ſe doctrinae laude commendarit, auctoritate fultum, ut probent illud, ac rectum eſſe prae-
di-

dicent; homines autem socordes ac minime callidos in fraudem illiciant ii, quos tanquam perditos in republica cives inordinata esse omnia & perturbata juvat, ut impune quidlibet audendi potestatem habeant, rem altius ab origine ultima repetendam, ejusque gradus & quasi processus ordine relegendos esse duxi. Nam re tota in pauca contracta facile quisque intelliget quibus e fontibus opiniones, ac mores tam multiformes eruperint: quommodo novis identidem irruentibus exturbati veteres, aut immutati adeo sint, ut & si dispari genere, tamen utrique coaluerint: qui demum factum sit, ut late pervagati florentissimas inter gentes non inhabitarint modo, sed etiam sculpti sanctissimis in locis steterint, & fana habuerint; neque furtim irrepsisse, sed acciti consulto esse, diis hominibusque plaudentibus in civitatem suscepti, & auspicato ceremoniis illigati videri queant.

Quod ut ad cognoscendum magis in aperto sit, videndum primo quo ordine pro facultatum humanarum evolutione varia se se gradatim occasione

data

data cupiditates evolverint, & opiniones accommodatae cupiditatibus evolutis adnatae sint: deinde qua ratione, & via sensim explicatis ingenii viribus, opiniones hae proponi aliis ac tradi consueverint; & quibus ex principiis deduci varie, prout observatione diuturna leges eas, quibus universa natura regeretur, introspicere quisque potuit, aut ex ea disciplina, quam summam haberet intimamque, divinare, vel comminisci ausus est. Namque seu vitae necessitates, seu quietis impatiens animus, seu perturbatio status ejus, in quo permanere cuique jucundum est, eliciunt facultates, quae paratiores ad erumpendum, & magis ex usu sunt: facultates autem enodatae libidines aptas ipsis & congruentes exprimunt, explicantque. Tantum enim fere optat quisque & conatur, quantum capere se & assequi posse arbitratur insito humani ingenii vitio. Simul autem, ut eruptionem libidines faciunt, ea, quae sibi respondent, omnia, in censu bonorum habenda esse statuunt, ac deberi sibi jure optimo. Id enim omne sibi quisque a natura

tri-

tributum, addictumque perverse putat; cujus adpiscendi facultas ab ipsa sibi data sit. Verum cum ea, quae cupiditas amplificata persequi potest, neque parari non adversantibus aliis, neque parta conservari sine labore queant, iccirco praecepta quaedam excogitanda obvenerunt, quae conatus cupiditatis vel munirent ac tuto dirigerent, vel prudenti consilio certis, aequisque finibus coercerent. Praeceptis enim tum maxime locus est, cum res non uno tenore fluunt, sed aliorum intercurrente cupiditate turbari, vel etiam studiis inter se cujusque pugnantibus impediri solent. Ea vero praecepta, ut varia fuere pro natura temporum, & conditione cupiditatum evolutarum, sic induta specie varia subinde, & variis e fontibus hausta sunt, pro cognitione rerum multiplici, qua mentis vis & ingenii latius expandebatur. Quoniam enim mens eo magnopere delectatur, qnod ita contitinuatum & aptum est, ut etsi conflatum ex multis sit, interque se dissimilibus, una tamen eademq. ratione ac forma tanquam unum quiddam compre-

prehendi possit, eapropter quidquid ei propositum ad inquirendum, demonstrandumque est, cum eo comparat, quod intime novit, excoluitque maxime, similitudines exquirit, alterumque accommodat, annectitque alteri. Nostra vero cognitio exorta ab iis, quae geri in se ipso quisque sentit, & agi videt ab sui similibus, progressa primo ad ea est, quae caeteris in animantibus exposita maxime sunt, ac propter motus, habitusque varios, quibus earum subinde status immutatur, oculos, animosque ad animadvertendnm acrius excitat; viribus porro auctis evagata latius naturam omnem peragravit; tum se se a materia paullatim abducens magnitudinum, ac numerorum rationibus evolutis, atque applicatis ad concinnitatem motuum impellentium aures, oculisque obversantium, a sensibus omnino expedita ad illud tandem, quod vere est, ac natura abhorret a concretione omni, evolavit, in eoque consedit. Haud absimili progressu regendae vitae documenta deducta per gradus sunt ab hominum ipsorum factis, a naturae legibus explicatis in ani-

ni-

nimantibus, ac rebus inanimis, ab Astronomia, Musica, Arithmetica, Geometria, Metaphysica, sensibus, imaginatione, mente ducibus, notionibus autem seu veris, seu commentitiis rerum administris.

Ex ea, quam aggredimur descriptione, tametsi pro rei magnitudine, leviter adumbrata, elucescet evolutio facultatum animi humani; ortus, & progressus opinionum atque cupiditatum, quae cum facultate aliqua seorsum ab reliquis evoluta maxime congruunt; causa demum, cur, qui se ex opinionibus atque capiditatibus effuderunt mores, aliis alii vetustiores, atque diuturniores sint. Quoniam enim explicantur sensus, ac vigent interea, dum inclusa ratio, & quasi consopita latet; atque promptiores acrioresque sensuum sunt, quam intelligentiae motus, ea propter ii citius exerunt se mores, altiusque insident, qui magis a corpore, quam ab animo participant. Ratio vero vel efferre se tempore a natura dato minime potest, occupato quasi solo asperis herbis & agrestibus, vel eodem, quo sensus ipsi aluntur, extrinse-

fecus allapfo quafi humore imbuta inſici folet, vel & ſi adolefcat, & a contagione corporis vacua, ac pura niteat, infufcari tamen eam, atque decolorari de induftria neceffe eft, ne vulgi oculos offendat, ac refpuatur a vita communi. Nam qui, cum ratione maxime polleat, ad praefcriptum rationis exigi velit omnia, neque concedendum quidquam moribus ufitatis putet; is ſi de turba fe conferat in otium, & a rebus gerendis abductus unice doctrinae vacet ftudiis, ab aliis plane defertus fibi fapiens uni eft; ſi turbae fe negotiofus immifceat, odiofa morofitate reliquos ab fe removet; ſi demum auctoritate, & gratia valeat, importunas tempeftates conciet. Quare pravitate naturae infita factum eft, ut moribus imprimi quidem a ratione potuerit color quidam, ac fpecies honeftatis; non autem ejus infundi quafi fuccus, & fanguis incorruptus; ac tum etiam, cum virtus in pretio erat, vimque omnem, & fplendorem fuum explicarat hominibus intelligentibus, inter optimos annumerati fuerint ii, qui fimulacra virtutis praefeferrent magis

a popularibus vitiis diſſiti, quam virtutis verae, ac germanae compotes. Nec ii, qui ſapientes habiti ſunt, & nominati, M. Cato, & C. Laelius, ſapientes fuerunt, inquit Tullius: ne illi quidem ſeptem; ſed ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam gerebant, ſpeciemque ſapientum.

lib. de off. 3. c. 4.

CAPUT I.

Quo ordine facultates hominum evolutae ſint, ex eiſque cognatae cupiditates effuſae.

I. QUae ſingulis hominibus exiguo vitae curriculo a natura cuique circunſcripto videmus uſuvenire, gentibus ipſis ampliori temporum ambitu contigiſſe dicendum eſt. Quemadmodum enim hanc initio quiſque conſtitutionem, ut verbis utar Tullii, confuſam habet, & incertam, ut tantummodo ſe tueatur, qualecunque ſit, ſed nec quid ſit, nec quid poſſit, nec quid ipſius natura ſit, intelligit; cum autem proceſſit paullum, & quatenus quidquid ſe

lib. de Fin. 5. c. 9.

se attingat, ad seque pertineat, perspicere coepit, tum sensim incipit progredi, se seque agnoscere, & intelligere, quam ob causam coeptat ea, quae naturae apta senti, appetere: sic & multitudo omnis, ex qua gentes initio conflatae sunt, cum aetate quidem firma, sed imbecilla mente esset, commendatione illa prima obscura & incerta, quae a natura nostri facta est, & appetitu illo primo animi, qui eo spectat, ut salvi simus, & integri, vitam omnem administrare solebat ac moderari; progredientibus autem aetatibus, sensim, tardeve potius, quae naturae vis esset, & partium singularum, dispicere coepit, & sentire, quid esset demum animus rationis particeps, & ea sequi, ad quae natus quisque est. Quo in decursu cum multa quasi diversoria, flexusque multi sint, alia alios statio remorari solet, aliusque alios error abducere. Quoniam enim, ut ait Plotinus, sensu antea quisque, quam mente utimur, animumque ad res sensum moventes adiicimus necessario; propterea alii quidem in hisce permanent, idque primum, & ex-

Enne. ad. 5. l. 9.

tremum expetendorum esse rati, sapientiam omnem esse hanc autumant, ut quis affluat iis, quae jucundos in corpore motus excitant non aliter affecti, atque aves ponderosiores, quae cum e terra multa sustulerint, iisque praegraventur, altius efferri nequeunt, etsi pennis a natura donatae sint. Alii vero, quos a voluptate revocat ad honesta & pulchra facultas animi potior, aliquantum ex inferioribus hisce quidem extollunt se; verum cum intueri superiora nequeant, quippe qui nihil habent, in quo consistant, una cum ipso virtutis nomine relabuntur ad earum delectus rerum, a quibus tollere se altius antea contendebant. Tertium denique genus est hominum, qui robore mentis, & acumine majore freti sustinere possunt vim lucis supernae, longeque relictis infra se nebulis rerum fluxarum, tanquam cives ex longis erroribus restituti patriae, fruuntur ea regione, quam veritas incolit, & quae natalis animorum sedes est. Inter hosce gradus, in quibus aut animus corpori plane servit, aut corpus animo, aut aequo foedere utrumque inter se distribuunt imperan-

di,

di, parendique vices, alii ſunt interjecti permulti, qui perinde, ut corporis, animique facultates expeditae ſunt, reſque ſuppetunt ad eas exercendas aptae, multimodis implicantur inter ſe, maximamque confuſionem habent.

11. Atque temporibus iis, quibus obducta quaſi ſitu vis erat animi, ac ſenſibus obverſabantur admodum pauca, quibus exſuſcitatae cupiditates involutae, ac latentes alerentur, aſpero victu, ac modico cupiditas omnis explebatur, & voluptatibus iis, quas ipſa natura libidine nulla adſcititia praeter aequum exaggerata poſcebat, ut augerentur vires, & generis humani perpetuitati conſuleretur. Gula rudis adhuc rudibus erat contenta epulis, & fame ſola conditis; neque naturam praevertebat, ut avidae voluptati pareret, neque ſupervacaneis obruebat, ut inexplebili voluptati ſatisfaceret. Sponte nata ſatis ampla putabantur ad uſus omnes vitae; quia parata nondum, & exprompta ratio erat agriculturae, neque artium aliarum, quae dum varietatem augent, ac docent utilitates rerum ſenſibus obverſantium, ipſamque

naturam in potestatem quodammodo suam redigunt, & addicunt humanis usibus, interea libidinibus irritamenta admovent, extunduntque luxuriam, quae quotidie se ipsam incitat, & ingenio adjuvat vitia; quemadmodum egregie Promethei, Pandoraeque fabula significatum est. Prometheus enim typus eorum est, qui, proditis in lucem artibus, eximie de genere humano meruis se visi sunt. Pandora vero exprimit artes ipsas, atque cupiditates, quas illae objecto quasi pabulo multiplici, ac vario exciverunt, & perniciosas humanae genti dominas imposuerunt hactenus ad omnia mala plane rudi. Namque ita ille Caucaso affixus ipse de se gloriose praedicat apud Aeschylum: Ignem ego hominibus obtuli magistrum artium, eosque mentis exsortes prius, intelligentiae feci compotes; videntes frustra videbant, neque audiebant audientes; sed somniis pares diu temere promiscua habebant omnia. Non latere norant struere, non lignis domos, sed incolebant solis ignaras specus; sine mente agebant cuncta, donec ortus ostendi, obitusque siderum. Numerum in-

Prometh. vinct.

inventorum omnium praeſtantiſſimum, & litterarum compoſitiones edidi, memoriamque rerum opificem omnium. Primus adiunxi jugo feroces belluas, ut maximorum eſſent mortalibus laborum ſuccedantae; curribus equos fraeno gaudentes ſubdidi, ſuperbis grande divitiis decus; neque alius a me fluctivaga repperit velivola nautarum vehicula: quae vero commoda terra tegit, argentum, aurum, ferrum, aes, quis ante me reperta jactet ſibi? quantum eſt hominibus artis, a Prometheo eſt. Quid autem conſecutum ex inventis hiſce ſit, ut obiiceret oculis ipſis Heſiodus mulierem finxit, in quam artium omnium opes, & ornamenta congeſta eſſent. Namque Minerva lanificium docuit; venuſtatem capiti affudit Venus; monilia corpori aurea Charites, atque Suada circumdederunt; Horae auricomae vernis coronarunt floribus; Mercurius demum impudentem animum, doloſos mores, & vocem addidit. Quod ſimul ut oblatum munus hominibus fuit, ab iiſque ſuſceptum, dum eo ſeſe oblectant, cupidinibus moleſtis, & curis membra depaſcentibus

op. & dier. l. 5.

implicantur, cum vitam prius agitarent seorsum a labore, aegritudine, morbis, qui senectam afferunt. Nam mulier vase resignato, quod manibus gerebat, in genus humanum effudit genus omne cupiditatum, & infinitam quandam malorum omnium vim, qui terras undique, & maria obsederunt, nulla ex iis evadendi oblata spe, quae cum evolatura jam esset, operculo imposito, repressa est, intusque una mansit. Tempus id, ut industria, sic instrumento voluptatum omni destitutum, appellatum aureum est, & mirifice nobilitatum ab iis, quos aut fastidium cepit rerum humanarum, aut inertes ac desides ab se fortuna, quae se navis elargitur, industriisque, respuit. Summa in aequalitate degebant omnes, quod occasio solertiae deesset, ac labori, cujus ope aliis alius anteiret. Justitia terras incoluisse dicitur, quod in tanta rerum paucitate, ac socordia cupiditatum nullus esset injuriae locus: secura fruebantur vita, ac libera, quod excitandis consiliis inter se confligentibus illecebra nulla praesto esset, neque fovendis, alendisque materies offerretur: suavissima videbantur,

quae

quae temere fundebat incultum, ac ſil-
veſtre ſolum; quia ne conjectura qui-
dem aſſequi poterant, quae fructuum
ſuavitates ex humo ſubacta, ac parata
ad ſatus accipiendos elicerentur: iis de-
nique bonis oblectabantur, quae te-
nuiſſimis in rebus, & paratis inſcien-
tia meliorum, & inertia ac deſidia nul-
lo neque aeſtu interiore, neque incur-
ſu extraneo excitata afferre poterat;
qualia tribuuntur a Pindaro populis
Hyperboreis. Nam convivia dulcia cu- Pythion.
rat gens foliis cincta recentibus, quam X.
non lethifer inficit morbus, non ſe-
nium debilitat tremens; nec Mars ſan-
guineus quatit; aut exoſa ſcelus numi-
na territant.

III. Sed ignavia haec excuſſa cito
eſt, ereptaque felicitas ea, quae vacui-
tate magis incommodorum, quam ac-
ceſſione bonorum continebatur. Nam
parciſſimo victu, ac duriſſimo pluri-
mum corpori firmitatis, ac roboris ingi-
gnebatur; animuſque cultura, ac diſci-
plina nulla mitigatus effervеſcebat in-
quies & indomitus. Siquidem incul-
tae parſimoniae fere eſt integra valetu-
do comes, ac robur immane, & au-
dax.

in Macrobiis. dax. Quare Lucianus populorum quorumdam vitam ad senectutem summam
perductam victui, quo temperato &
agresti utebantur adscribendam putat :
l. de abst. 4 atque apud Porphyrium Dicaearchus nullum, ait melius, neque ad sanitatem incorruptam, ac diuturnam accommodatius esse consilum, quam ut a corpore
redundantia arceantur. Quidquid enim
supervacuum est, aut frangit vires, aut
ab opera incremento corporis, ac firmitati partium danda avocat in depellendis, egerendisque noxiis occupatas.
Nervos autem, atque lacertos valentiores diritas quaedam ac feritas affectatur, nisi cultura leniat animum, & vires licentia nimia superfluentes compri-
In Politico. mas. Nempe, ut est apud Platonem,
quemadmodum pudore & verecundia
demissus animus, experſque fortitudinis, & audentiae segnior sensim fit,
ac demum obtorpescit omnino quasi stupore quodam debilitatus; sic incitatus
contra, ac vividus, nisi modestiae permixtus apte, congruenterque temperetur,
ac retundatur, firmata primo quasi stirpe, robore, nervisque viget; ad extremum autem undique fundit insaniam.

Quo-

Quocirca Aristoteles instituta Lacedaemoniorum, eo nomine condemnavit, quod in labore ac duritia plus aequo exercitati homines efferarentur. l.Polit. 8.c.4.

IV. Agrestibus igitur, horridisque viribus instructus, & ad irarum ardorem, ac pertinaciam paratus animus impetum primo omnem effudit in feras belluas, a quibus intendi periculum capiti, vel cibus, ac tegumentum peti posset: deinceps invasit in homines ipsos, si quando ab iis importuno ventri, ac libidini, quae fines a natura positos urgere coeperat, impedimentum afferretur. Quare cum saepe jurgii, rapinae, caedis arrepta, & oblata causa esset, consuetudine ea sensus omnis humanitatis oppressus est: atque cum nihil in homine praestantius agnosceretur, quam robur corporis impetu quodam animi concitatum, praeclarum illud existimari coeptum est, ac Diis genito, Deoque ipso futuro dignum, quod immanissimum esset, & atrocissimum. Nam, ut inquit Polybius, si qui forte adversantur effraenatae cupiditati cujuspiam, nihil adeo crudele ac nefarium est, quod hic in se non Hist.l. 1.

suſ-

aequius ſe, modeſtiuſque gerat, quam imperii magnitudo flagitet, id eo facere, ut ſeſe ingenio attemperet humano, tutiuſque ſibi alios obſequentes habeat. Sed moderatio haec invecta conſilio prudenter utilitati ſerviente prorſus ignota temporibus iis erat, quibus ira peragebantur omnia. Quapropter immanitate efferatis animis, ac ferocia exultantibus, fruſtra ab calamitoſis, afflictisque religionis pietas, & vis communis humanitatis obtendebatur, ne vivi, ſpiranteſque devorarentur, vel a canibus, alitibuſque mortui diſcerperentur. Stultus es, inquit Cyclops, qui me Deos vereri jubes: neque enim quidquam curant Cyclopes Jovem; quippe qui robore longe anteimus: neque Jovis ira deterritus tibi, ſociiſque parcam, niſi me juſſerit animus. Et Achilles Hectori morituro, atque, ne corpus ad ſepulturam negaret, obſecranti, ferarum eſſe eum jam morſibus, unguibuſque addictum denunciat; incuſatque ſegnitiem doloris ſui, qui non eundem in fruſta concideret, & membra fluentia tabo manderet.

Odyſſ. l. 9.

Jliad. l. 22.

VI.

manſuetum poſtulet, ut ſenſus communis humanitatis explicare ſe diſtincte & ordinate poſſit; illa contra cum fero, agreſti, perturbato conſueſcat libens, robuſtiſſimi quique contentionibus crebris, ac rebus proſpere geſtis alacriores facti conquieſcere non poterant abs rebus novis moliendis, ut recenti ſe praeda conlocupletarent, & ingenio inſervirent, cujus erat agitatio major, quam ut unquam tranquillitatis & otii deſiderio capi poſſet. Quae vel praedat libido, vel animi concitati inſania, cum ſaepe non haberet inter ſuos magnum ſatis ad excurrendum ſpatium, erumpebat in aliena. Quare latrociniis infeſta omnia facta, mutatae ſubinde ſedes, neque certa cuiquam ſtatio. Nam ſi quis praeſertim in eo ſolo conſediſſet, qui vel ubertate frugum, vel opportunitate aliqua in oculos incurreret, ab ingruente graſſatorum manu diripiebatur, aut exturbatus ſedibus ſuis domicilia nova quaerere cogebatur. Neque vis ea, quae ſe, quo cupiditate, animique impotentia raperetur, impetu coeco proruebat, crimini, ac probro erat; ſed, ut ex anti-

ti-

Hist. l. 1. tiquis poetis Thucidides collegit, etiam laudi tribuebatur. Illos enim, qui ultro, citroque navigant, ab iis, quorum ad oras appulerint, interrogari faciunt, num latrones sint, & praedas acturi venerint. Ac neque ii, qui rogantur, tanquam indignum negant, neque tanquam turpe exprobrant ii, Odyss. l. 3. quorum hoc nosse interest. Hospites, ait Nestor Telemacho, ac sociis, mercaturae ne causa, ac praedae maria trajicitis incerto cursu, more praedonum, qui periculis anima objecta damnum alienigenis inferunt? Siquidem ingenium praeceps, & indomitum neque majus quidquam praestare posse, neque propterea magno excelsoque animo convenientius esse autumat, quam quod ingenti conatu fit, & cum multo labore conjunctum est: ac si quod arduum est, utilitates etiam praeclaras afferat, is qui viribus omnia metitur corporis, sese non injuriam iis facere putat, quos immerentes aggreditur, sed ab eisdem injuria affici, si repugnare audeant, & obniti potentiori. Quo vitio animi humani turbulento corporis aestu jactati factum est, ut vio-

violentiae tributum sit jus summum; atque receptum, id cuique fas esse, quod quisque posset; neque aliud quidpiam detrahi sibi pati oportere, quam quod vis, ac necessitas extorqueret. Quae lex a feritate orta cum sensim amplitudinis cujusdam, ac dignitatis speciem induisset, a barbarie ultima propagata est ad id usque temporis, quo legibus aequis dominari ratio videbatur; ac mitigata immanitate, quam tum praeferebat, cum vix quidquam praestaret animus, quam ut homines essent inter se feris ipsis damnosiores, conservavit robur, ac vim, quae non ut ante cupiditate tumultuaria in actum educebatur, sed utilitate callide provisa temperabatur; & intendi solebat, ac remitti pro ut res, ac tempora, quibus erat accommodanda, postulare videbantur. Quare legati Athenienensium in concione Lacedaemoniorum aperte professi sunt rem esse perpetuo naturae jure constitutam, ut imbecillior qui sit, a potentiore coerceatur; neque ullum extitisse, qui si vires & copiae suppeterent, aequitate retardaretur a rebus augendis: ac si quis ac-

Thuc. l. 1.

VI. Quare, cum parum admodum infirmioribus esset in justitia praesidii sive ad praecavendas, sive ad avertendas injurias, quibus inferendis animi ardentiores immanissime saeviebant, rebus adversis excussa vis quaedam insita exsiluit, qua animorum impetus humanitate expertium eluderentur. Solertiam enim quandam, atque sagacitatem emisit animus undique pressus, quae se se acuens, ut ea tempora ferebant, quibus tam inculta mens hominum erat, & infirma, quam corpus exercitatum, atque corroboratum, insidias, eruptiones, propugnacula, fallacias excogitavit, ut qui viribus esse pares non poterant, incursus hostium a se calliditate quadam, amolirentur, aut retardarent. Quae quidem calliditas, quod hominis esset palam prodire non audentis, ac de se timentis indicium, erat iis odiosissima, qui roboris invicti laudem unice quaesitum ibant, ac nihil tam cavebant, quam, ne parum sibi confidere, caeterosque contemnere viderentur. Quapropter Ajax ille, qui se neminem extimescere profitetur apud Homerum, in Philoctete Sophoclis aversatur Iliad. l. 7.

Ulyssem, qui auctor erat, ut quae vi non poterant auferri tela, fraude surriperentur; quia turpe id esset viro bono. Nam boni tum vocabantur, qui viribus, animisque praestarent. Cum vero ab se paullo seductus homini vafro annuisset, mox ad ingenium redit, incoeptumque repudiat, ne dum sapientiae laudem quaerit, esse bonus desinat. Nam, ut bonus appellabatur, qui periculum nullum detrectaret; sic sapientis ei nomen factum est, qui dolos aptos tempori callide strueret. Quare Minerva, quae sapientiae, quasi forma est, se se cum Ulysse conferens: tu quidem inter homines, inquit, praestantissimus es consilio, & fallaciis; ego vero inter Deos omnes consilio fraudibusque polleo.

Odyss. l. 13.

VII. Etsi vero calliditatem comitem vis initio respueret, utilitas tamen utramque deinceps foedere junxit, & alteram alteri saepe conciliavit. Quapropter in rerum gerendarum partem astutia recepta est; & cum antea turpe duceretur quidquid vi non esset effectum, sua laus etiam consilio tribui coepit: quod etsi conatus retundat,

dat, impetumque sufflaminet roboris, viam tamen planiorem ad res difficiles, ac tutiorem parat. Immo vero, cum necessitas identidem in partes omnes se se versare mentem cogeret, ejusque prolatae in medium opes aperte monstrarent, robur hominis exiguum, ut ajebat Euripides, esse, si cum solertia multiplici conferatur, qua domat omnia, quae terra, pontus, & aer alit; eapropter absolutus is, & perfectus habebatur, qui manibus esset bellicosus, & consilio potens. Quamquam autem ad res magnas expediendas astus afferret adjumenti plurimum; is tamen necessitate magis, quam insita dignitate commendatus est, ac nisi audacia tegeretur, ipse per se despectui erat, atque dedecori. Quare postquam vis astu hominum in artis modum redacta est; is praesertim, qui staturam Oarioneam a natura non tulisset, laude merita minime fraudabatur, si cum viribus majorem haberet animum; quae subsidia latera, lacertique denegabant, ab astutia peteret, ac interea, dum, ut Pindarus inquit, audacia leonem referebat in labore

At. Plutarch. in lib. de solert. Anim. Hom Od. 16.

Istm. od. 4.

graviter frementem, aſtu vulpem imitaretur, quae dorſo incumbens aquilae cohibet, avertitque impetum. At iis maxime, qui dignitate eminerent, ac florerent opibus, turpius eſſe putabatur uti fraude ſpecioſa, quam vi manifeſta; quippe cum exiſtimaretur, al-
Hiſt. l. 4. teram, ut Braſidas apud Thucididem non diffitetur, jure potentiae, quam fortuna dedit, inferri; alteram ab injuſti propoſiti inſidiis proficiſci: quaſi aequum, eſſet id alios pati, quod alterius exaequata cum potentia libido ingerat; ac potentia viribus externis ita expleatur, ut nihil ad eam quidquam ingenium acre, & verſatile conferat.

VIII. Quae vero calliditas armata prodibat, cum vires aetate corroborata abundarent, aetate defloreſcente mitior facta in eam, quae moderata eſt, atque a ratione profecta prudentia, definebat. Nam, cum animus eſſe in tranquillo coepiſſet, qui ſe huc illuc antea verſabat, & ardore cupiditatum una cum ſanguine, ac ſpiritu refrigeſcente multa perſequi cogitatione poſſet, contentionum, atque inimicitiarum motus turbulentos cum ea vita comparans leni,

ni, ac placida, cujus aetas ingravescens desiderium aliquod afferebat, intelligere facile poterat, iram eam esse laudabilem, qua tuta pax, & honesta pararetur; qua vero dissidia, pugnæ, clades, ac rerum eversiones perpetuarentur, eam esse vituperandam, & a natura alienam. Alteram enim sanguinis esse quasi fervorem quendam excoquentis admixtum cruditatis quidpiam; alteram autem hominis tanquam febre naturae vires exuperante laborantis insaniam. Quocirca sese ad ea suadenda contulerunt, quibus a ferina consuetudine, & odiis internecinis ad mansuetudinem homines, & amicitiam traducerentur. Sed neque Nestoris, cujus ex ore melle dulcior fluebat oratio, sedata consilia lenire furentem Achillis animum poterant; neque Ulyssis, qui verba nivis hibernae similia fundebat, eloquentia sese leniter insinuans in exulcerato animo penitus insidentem iram exorare, ut aliquando mite quidpiam admitteret. Nam surdo canit, qui cohibendos in pectore spiritus elatos esse, quod humanitas praestabilior sit, iis persuadere conatur, qui cum viribus plurimum

Iliad. l. 1.

Iliad. l. 3.

possint , extimescantque neminem ; aeque ducunt indignum animo forti , & magno tradere se prudentissime commonenti ; atque hosti contra ruenti succumbere.

IX. Verum quod efficere nondum poterat eorum auctoritas, & sententia, qui provecti aetate essent, aliisque consilio præstarent, effecere tandem eventus ipsi rerum , qui sensim immites ad lenitatem mores converterunt , atque a vitae ratione tumultuosa, & infesta traduxerunt ad eam , quae justitia magis, & mente regeretur, quam cupiditate, atque animi motibus perturbatis. Vel enim assidua contentione debilitatis ultro e manibus arma excidebant : vel aequatis iterum, ac saepius repulsi viribus, infecta re cogebantur ab incoepto desistere ; vel fracti adeo , ut vires, animique deessent ad res repetendas, humana, ac divina omnia victoris arbitrio permittebant, ne frustra repugnando penitus interirent. Quare sublata dimicandi causa, quietem aliquam agere coegerunt feroces animos , atque vincendi cupidos: ac dum concitatio subsederat , sive studio , sive

tem-

temporibus accommodato consilio ducti, cum effunderentur omnes in eorum obsequium, quos propter insolentiam otium diu pati non posse providebant, in eosque congererent undique signa omnia, quibus excellentia quaedam, & potestas eximia coli, placarique potest; tandem factum est, ut hisce delinimentis eorum quasi consopitus furor languori se daret; animusque flecteretur ad ea studia, quae rebus partis adhiberent culturam aliquam, ne, qui fructus ex iis capi poterat, exaresceret. Nam cum antea contentus animus laxaretur honoribus habitis, otioque retenderetur, per ea, quae dabat intervalla, facile sese prudentum monita insinuare poterant, ut legibus intestini compescerentur motus, hominesque certarent officiis mutuis alter alterum demereri. Cujus quidem conjunctionis, atque conspirationis animorum utilitate percepta, coepit ea diligi ab ipsis iis, quorum a moribus inveteratis maxime diffidebat. Usu enim, ac sensu ipso interiore compererunt, etsi ratio obticuisset, jucundius esse, tutiusque, & homine dignius ab suis

coli beneficio devinctis, quam timeri a lacessitis injuria, caeterisque anteire dignitatis ornamenta omnia sponte deferentibus, quam invitis per vim imperare, metuque adigere ad extrema quaeque commovenda, ne sit iis turpiter serviendum, aut inulte pereundum. Qui vero temperatiore animo essent, evasissentque incolumes ex jactatione tanta, quid expetendum tantopere, tamque magna cura tuendum existimare poterant, quam vitam degere terrorum vacuam; nulla ingruente nefariorum manu exturbari de sedibus; nullo rerum tumultu a studiis, institutisque suis avocari? Tum, quasi edolata asperitate ea, quæ ferinam antea naturam praeseferebat, fortirudinis ea forma exculpta est, quae mores humanos decet. Tum justitia, quae rerum motibus turbulentis oppressa nondum emerserat, libere caput extulit, & quae vi pulsa nuspiam habuerat consistendi locum, publica in luce versari, summamque dignitatem, atque auctoritatem aliquando tenere coepit. Tum porro ingenia expoliri, educique artes, ac disciplinae, quibus

ani-

animus excoleretur , ac vitae commoda , civitatis opes , & ornamenta dignitatis augeri solent.

X. Sed interea dum legibus , ac judiciis aequi , bonique jura communiuntur , ex altera parte facultates rerum , & industria confluentium utilitatum incitamentis extimulata paullatim ea invehunt omnia , quibus justitiae fundamenta succutiuntur , & ei maxime infesta discordia , ac seditio cupiditatum alitur . Ita enim fere accidit, ut animi securitas vitae tranquillitati succrescat ; securus animus effundat cupiditatum segetem ; cupiditates industriam exacuant ; industria multiplicet ea , quibus ambitiosae voluptates , & sumptuosae mirifice variari possunt ; usu vero voluptatum exhauriantur opes , obsolescat pudor , exultet improbitas, avaritia divina cum humanis permisceat, pecunia summam auctoritatem habeat, omnia perrumpat vis ; exundante denique colluvie cupiditatum omnium dejiciantur leges , quae propugnacula sunt , ac muri civitatis , & licentius grassantibus moribus malis , honesti , ac decori semina penitus obruantur .

Nam

Nam victu, & cultu a necessariis ad elegantiora defluente relaxari temperantia solet, animique fortitudo debilitari; sensimque adnascitur alteri luxus confector, & comsumptor omnium, alteri corruptrix ambitio bonarum artium, quae nihil simplex, atque sincerum esse patitur: quae si quidem ignavum hominem inertemque occupent, languidis illum voluptatibus liquefaciunt, & inani magnificentia sumptuum effusorum elatum in eam inducunt opinionem, ut summo loco natis ad laudem, & claritatem unam hanc esse viam reliquam, ac decoram putet. Quare cum antea summa praestantissimorum hominum virtus, ac laus esset magnus exantlatus labor, ac vigeret effatum illud Hesiodi: non est operose quidpiam moliri dedecus, sed nihil omnino agere dedecus est; postquam ex animi torpore nata socordia splendorem quemdam, ac dignitatem a divitiis mutuata est, virtutis occupavit locum, ac praecipuum fortunarum amplissimarum coepit haberi decus. Sin autem luxus, & ambitio callidum invaserint, & ad omnia susci-

l. 1. op. & dier.

ſuſcipienda paratum , erectumque animum; tunc ea monſtra pariunt, quae deſcripta a Nepote , Tullioque legimus, ubi nobis expreſſam ille quidem Alcibiadis effigiem, hic vero Catilinae exhibet. Alter enim verſare ſuam naturam, atque huc, & illuc ita torquere poterat, ut idem cum triſtibus ſevere, cum remiſſis jucunde, cum ſenibus graviter, cum juventute comiter, cum facinoroſis audacter, cum luxurioſis libidinoſe viveret: alter autem ad omnes res aptus, conſiliique plenus erat, diſertus, dives, laborioſus, patiens, liberalis, ſplendidus, affabilis, blandus, temporibus callidiſſime inſerviens, idemque luxurioſus, diſſolutus, intemperans; ut omnes admirarentur in uno homine tantam eſſe diſſimilitudinem, tamque diverſam naturam. Cujus quidem generis homines peſtilentiſſimi ſunt, quod eorum vitia ſpecie quadam illuſtri virtutis aſſimulatae non obtegantur modo, ſed etiam illuminentur, atque ad omne genus hominum capiendum conformata flagrantes libidinibus animos illecebra nativa alliciant; graves , & ſeveros adſcita virtutum indo-

Tul. Orat. pro Coel.

Corn. Nep. in Alcib.

indole concilient ; popularia denique ingenia admiratione coeca obſtupefacta detineant . Luxuria vero divitum , & ambitione potentiorum alitur eorum avaritia , quibus aliena vitia lauta quaeſtui ſunt ; & audacia facinoroſorum invaleſcit , quibus neque res , neque ſpes ulla bona domi eſt : quorum genus alterum nihil ſani in moribus eſſe , alterum omnia permiſceri juvat . Nam qui lucrum ex obſequio turpi , & artibus malis aucupatur , quo vita communis ſolutior eſt , eo paratiorem , ac latius patentem arbitratur ad quaeſtum eſſe ſibi recluſam viam ; & cum ex aliorum perditis moribus occaſionem captet praedae , omnibus omnia pro libidine licere , ſua magni referre putat , ut aditus ad inſerviendum iis plurimos habeat . Quare impurus ille apud Plautum : boni , inquit , viri me pauperant , improbi alunt , augent rem meam mali : populi ſtrenui damno mihi , improbi uſui ſunt . Qui vero pacatis rebus , & optime conſtitutis non nimis habet , quid ſperet , & conſequi poſſit , ei fraenum omne licentia ſolutum eſſe prodeſt , ne deſit

In Pſeud. act. 4. ſc. 7.

occa-

occasio nova moliendi; neque magis ille quidquam expetit, quam, ut complures sint, qui flagitio, egestate, aere alieno exagitati non inveniant, unde libidinibus sumptus suppeditent, nisi vi res geratur omnis, & dux praesto sit ad facinus audax, cujus & in praesidio lateant, & incoepta vicissim summa ope adnisi fulciant. Quare cum ad optimi rerum status dissolutionem voluptarii libidines; quaestui deditì, & alienis inhiantes iniquissima foenora, ac lenocinia; ambitiosi factiones, & corruptelas; audaces, & egentissimi vim, atque desperationem afferant, paullatim fit, ut oppugnatis undique moribus bonis, & vinculis omnibus revulsis legum, atque judiciorum in licentiam immoderatam universa denique prolabantur.

XI. Conversiones ergo rerum humanarum gradibus hisce progrediuntur, promovente facultate illa animi, quæ maxime expedita rerum potita est. A rudi victu, ac duro, quo robur alitur, ad eam vitae rationem gentes deductae sunt, in qua ferocitas, & versutia confligunt inter se, resque vi pera-

peraguntur, & insidiis impotenti furore communitis. A ferino statu hoc rerum, quo dominatus occupari solent, ad eum porro devehuntur, qui fortitudine nititur, & prudentia; rebusque partis tuendis, ac turbulentis ordinandis, accommodatus est. Hanc deinceps excipit optima civitatis constitutio ea, quæ justitia regitur, ac devincta continetur legibus; & cum otio abundet, atque opportunitates maximas habeat ad opes augendas, excolendasque artes, eapropter ad omnes vitae commoditates, atque jucunditates percipiendas imprimis idonea est. Otio vero confirmato, fortunis auctis, & vitae commodis, ac deliciis multiplicatis cupiditas exaggerata laxare legum fraena nititur; ac justi, & aequi munimenta omnia concutit adeo, propellitque, ut aestuantem cupiditatem ea continere minime possint.

XII. Homerus, qui, ut rerum naturam, quae sui semper similis est, aequabiliterque fluit, carminibus inclusit suis, ita mores, qui commutantur identidem, aetatum omnium congessit, in unumque tempus contulit,

ut

ut ex conflictu morum inter ſe maxime diſſidentium eventus exiſterent admirabiliores, ingenii humani progreſſus a duritie prima ad extremam diſſolutionem expreſſit in viris principibus, & gradus omnes alterum alteri continuatos diſtinxit, atque ſub uno aſpectu poſuit. Nam, ut omittam immanitatem, quae ferarum omnino eſt, Polyphemo attributam; Achilles typus eſt invicti roboris, animique impotentis; Ulyſſes aſtutiae violentia ſuffultae; Neſtor prudentiae fortitudine animi ſuſtentatae; fortitudinis Hector, & juſtitiae; juſtitiae Antenor, imbelliſque prudentiae; Paris demum libertatis effuſae, ſuaeque libidini poſthabentis omnia. Duces alii, ac proceres interjectos explent gradus, quibus hi, qui extant maxime, connectuntur.

XIII. Status autem hi pro varia, ſive locorum, ſive hominum indole rerum caſibus intercurrentibus variis immutari multimodis, interque ſe complicari poſſunt: & mores, ac leges populorum, quae exortae ex hiſce ſunt, eiſque incrementum fere debent, eaſdem, atque ipſi, mutationes habere ſolent.

lent. Nam iis, quorum res eſt anguſta domi, ingenium pingue, corpuſque valens, cultus diu, victuſque aſperitas adhaereſcit, quam fere comitantur agreſtes, incultique mores. Cum iis autem, qui animis ardentiores ſunt, ingenioque praediti acuto, ac verſatili, diu ferocitas conſueſcit, quam fraudulentia pene ſequitur, & labore fatigatam alterna vice mollitia ſinu fovet, relaxatque penitus; ut qui patientior in periculis eſt, effuſior idem eſſe in otio ſoleat in voluptatum illecebras. Quibus ea demum quaſi temperatio animi obtigit, ut ab extremis aeque virtutibus ardentioribus abſint, ac vitiis, hi cum rationem exſolvant maturius animi motibus concitatis, res etiam ſedatius inter ſe comparare, momentiſque ſuis diligentius ponderare poſſunt. Quare viget in iis prudentia, rerumque ſcientia bonarum, ac malarum, eique juſtitia, ac vera magnitudo, & excelſitas animi comes additur. Nam, qui conſilio reguntur, & corporis, animique motus natura moderatos habent, hi facile virtutum ſunt germanarum compotes; caeteri vero vel igno-

ignorantia vitiorum innocentes ſunt, vel impetu animi confuſo incitati ſimilia quaedam virtutibus expromunt. Duorum enim generum ſuperiorum in altero temperantia nihil eſt aliud, quam naturalium, quae pauciſſimae ſunt, appetitionum ſenſu ipſo dimenſa expletio; fortitudo viribus ſolis corporis nititur; juſtitia vix alia cognoſcitur, quam quae rudi cupiditate ſedata, patitur alios habere, quod uſui ſibi non eſt; prudentia denique propter eventorum rebus in exiguis, rudibuſque cupiditatibus paucitatem vix ullum locum habet: in altero vero temperantia eſt abſtinere voluptatibus iis, quae convenire minime poſſunt in animum, qui ſui plerumque impos eſt, & in utramque partem effraenate ruit ira aeque, ac luxuria immodicus; fortitudinis ea conari, quae proxima feritati ſint; juſtitiae, quos bonis everteris omnibus, iis omnino ſpiritum non adimere, vel ſi nullam conditionem recuſent duriſſimae ſervitutis, urgere levius, idque facere, quod non auferas, ſervitii pretium ut ſit; prudentiae denique, quos vi non poſſis, eos do-

lis, & insidiis labefactare. At postremi generis temperatus ille est, qui animum avocet ab affectionibus iis, quae cum ratione, ac praestantia naturae humanae minime congruunt; fortis, qui rebus altius fluxis, & in arbitrio fortunae positis exerat caput, ac neque adversis debilitetur, neque laetis efferatur immoderate; justus, qui neminem laedat, idque omnibus attributùm velit, quod humanitatis insita jura, legesque ex iis descriptae voluerint esse cuique suum: prudens tandem, qui rerum casus humanarum animo prospiciat, eaque providentissime comparet, quibus hi praecaveri possint, aut emendari. Quoniam autem de rebus ad vitam pertinentibus ita judicatur, ut animus affectus est (affectionibus enim animi opiniones obsignari quodammodo solent) propterea quae fortitudo ab iis dicitur, qui ratione gubernantur, animi demissio vocatur ab iis, qui feritatem ex animo nondum excusserint: mores ad humanitatem exculti, remissi appellantur, & effeminati; quod injuste, ac dolose factum est, id tanquam ab animo

vasto,

vasto, & alta cupiente, sapientiaque elationi suae pari praedito susceptum facinus collaudatur. Ubi vero cupiditates artificio nequitiae omnis eruditae nudum rationibus veris, honestisque studiis animum occuparunt, ac petulantes opiniones, & sibi cognatas invexerunt; tum, ut ait Plato, verecundia, temperantia, sumptuum modus appellari stultitia solent, ignavia, rusticitas, illiberalitas; contra vero petulantia nomen obtinet ingenuae, liberaliterque educatae indolis, licentia libertatis, prodigalitas magnificentiae, impudentia fortitudinis.

l. de Rep. 8.

XIV. Ex hisce fontibus effudit se proluvies ea morum, quae rationi vitium attulit, ac virtutum quasi surculos in illa abditos oppressit, aut depravavit; aliisque subinde influentibus, quasi torrens auxiliaribus aquis aucta libere in caput, fortunasque hominum, & vitae cultum debacchata est. Quid autem auctoritatis, & ponderis habere potest, ut ex ea natura aestimanda sit hominis, ac de rebus expetendis, & mentis, atque rationis praestantia dignis judicandum? Tunc enim

exorta est, cum ratio quasi consopita torpebat, vel motibus animi turbulentis agitata distrahebatur, vel sensuum illecebris enervata contabescebat. Ut vero primum fuit vel explicandi, colligendive sui, vel convalescendi spatium rationi datum; hi, qui mores, quos erant forte nacti, adamarant, aut se se ad eos aptarant, meliorum desiderio consuetudine mitigato, vel represso terroribus iis, qui res molientibus novas, & ab usu communi abhorrentes obversari solent, magnitudine incommodorum adducti reprobari, resigique usitata instituta debere intellexerunt. Nam, ut aeris pondus, qui circumfusus nobis est, ex quo editi in lucem sumus, sensu interea non attingimus, dum aequabiliter undique premimur. Sin autem moribus insolentibus agitatus firmissima quaeque concutiat; vel in orbem con volutus suis quasi spiris illiget obvia, revellatque; tum quae vis ejus sit, & quid ab eo detrimenti importari possit, experti discimus: ita qui nati, & educati moribus fuerint a ratione dissentaneis, cum meliores, quibuscum ii

con-

conferantur, praesto non adsint, improbitatem eorum forte non animadvertunt abducti consuetudine quotidiana; multiplici vero perturbatione rerum, quae cum moribus ab honestate dissidentibus increbrescit, expergefacti tum demum institutorum studio tanguntur, quibus ea tolli damna possint, & imperium rationis dominatu cupiditatis excellentius esse prospiciunt, ac salutarius. Quam ob rem Cyrenenses luxu perditi Platonem sapientiae laude celeberrimum rogaverunt, ut novas sibi leges conderet; ac Soloni rerum summam detulerunt Athenienses, ut mores componeret civitatis agrestes, & efferatos. Siquidem ea rerum a natura dissentientium ratio est, ut speciem fucatam utilitatis, qua se cupiditati commendarunt, tandem aliquando gravissima damna redarguant: quidquid autem ad honesti leges, ac decori conformatum est, quo cupiditati magis adversatur, eo tutius, utiliusque deprehenditur usu diuturno.

Plutarch. in lib. ad Princ. inerud.

Ael. Hist. var. l. 8. c. 10

XV. Neque vero putandum est, etsi mores absoni quidam usu obtinuerint, probatos eos aeque fuisse omnibus.

Non enim ad eadem omnes aeque propensi sunt; neque siquem legum conditores dissimularunt, aut etiam praescripserunt, iccirco laudasse eum, vel praeferendum censuisse ipsum per se judicandi sunt. Nonnullos enim tolerarunt, ne medicina adhibita praematura medicinae impatiens malum exasperaretur: quos aegrius evelli posse praevidebant, excoluerunt, ut alii facilius eradicari possent: quibusdam honores decreverunt, ut a contrariis homines averterentur, in quos essent natura proniores: aliquos omnino tentare non potuerunt, quod interposita religione pro corruptione animi varia varie deformata prohiberentur. Germanis praedas a finitimis avectare licebat, ut juventus exerceretur, ne desidia langueſceret. Lacedaemoniorum legibus supplicio deputabatur non qui furtum fecisset, sed qui fuisset in furto deprehensus, ut essent alacriores ad praecavendas insidias, callidiores ad easdem parandas, ac doloris inflicto vulnere patientiores. In Aegypto, quia tolli omnino furta non poterant, id unum lator legum conatus est, ut in ordi-

Caes. l. 6. de bel. Gall.

Plutarch. in Lycurgo

Diod. l. 1. c. 3

ordinem aliquem cogerentur. Quare lege cautum fuit, ut qui latrocinari vellet, nomen in albo inſcriberet, & quae ſurripuiſſet, eundem in locum omnia comportaret, ut quod fuiſſet quiſque ſuppilatus, ei perſoluto quadrante recuperandi poteſtas eſſet. Quanto vero ſtudio raperentur homines ad fraudem faciendam bonis alienis, id ex ea lege conſtat, qua, qui mutuum quidpiam ſumere vellet, creditori parentis caput obligare cogebatur; ut ſi fidem fallere ſatis ipſum per ſe turpe non videretur, acceſſione flagitii ſummi deterreretur. Cum ſtulte alii crederent homines in vitam hanc exilii cauſa venire, alii mortuos eiſdem oblectari, quae vivi adamaſſent, alii Deos ea re praeſertim exorari, & coli debere, quae praeſtantiſſima in terris eſſet; iccirco pium, ac religioſum videbatur Scythis obtruncare parentes annum ſexageſimum praetergreſſos; Sardibus neci dare verberibus antea contuſos; Gallis ſervos, & clientes concremare, qui domino vita functo, cum viveret, fuiſſent cariores. Nuptis Indicis inter ſe certare, ut una cum Id. ib.

viro comburerentur; Gallis, & Germanis ad avertendam iram Deorum captivos excarnificare; Persis ad habendas Diis gratias vivos, spirantesque terra defodere; Tauris hospites immolare; Phoenicibus ornatos cultu regio pueros nobiles; Albanis hominem sanctissimum, sacris initiatum, & cute laute curata nitidum. Qui foedis imbuti religionibus Venerem colebant propudiorum Deam, iis, qui persuaderi posset, illa in turpibus, habenda esse, quorum haberent auctores Deos? Quare Babylonicae mulieres religione ductae diebus statis ad Veneris templum tandiu desidebant, quoad hospitum confluentium aliquis injecta pecunia, quae Veneri sacra erat, & recusari minime poterat, oblatoque vitio potestatem abeundi cuique faceret. Quod excellens quidpiam esse muliebris formae pulchritudinem mores ad mollitiem lapsi quibusdam persuasissent, feminis Indicis perhonorificum erat elephantem danti copiam fecisse sui, magnitudine pretii formae praestantiam quamdam indicante singularem; & Aegyptiae, quae multos ad se pellexissent,

Eurip. in Ione

Herod. l. 1. c. 199.

Arr. in lib. Rer. Indic.

Sext. Emp. hyp. Pyrr. l. 1. c. 14.

sent,

ſent , inſignitae periſphyrio incede-
bant . Limirnii , & Agathyrſi tan- Nicol.
quam in Platonis Republica communi- Da-
bus utebantur uxoribus , ut inter ſe maſc. ap.
germani , quemadmodum ait Herodotus Stob.
& cognati omnes , neque ſibi viciſſim ſerm.
invidiam facerent , neque in ſe mutuo 44. Herod.
certarent odiis . Qui demum vel pro- l. 4 c.
pter incultos mores , vel animum aequo 104.
ſuperbiorem caeteros ne homines qui-
dem putant , neque commune cum his
quidquam habere volunt (quae Perſa-
rum arrogantia fuit , Herodoto teſte , Herod.
qui ſe quam optimos arbitrabantur , l. 1. c.
alios autem eo deteriores , ac nequio- 134.
res , quo ab ſe abeſſent longius) hi
vel impetu coeco , vel inſolenti con-
temptione gentis humanae conjecti in
nuptias nefarias abrumpunt adminicu-
lum id , quo longius exporrigi ſocie-
tas humana poteſt . Quare apud Ho- Odyſſ.
merum Aeolus filias dabat filiis , ut l. 10.
eſſent uxores ; & Cambyſes , ut idem
Perſis liceret , exemplo ſuo fecit . Im- Herod.
mo vero regis inter Arabas cujuſdam l. 3. c.
filia inſimulata probri eſt a fratre , 31. Strab.
quod alio genere natum admiſiſſe ad l. 16.
ſe putaretur , iſque ſigno poſito ad eam
in-

ingredi vetaretur, & fratrum caeterorum neminem intus eſſe certo ſciret.

XVI. Quae cauſae perverſitatis morum cum tam variae ſint, tamque inter ſe colligatae, & implicitae, quam varie, variiſque viribus animi facultates humani ſe ſe explicare poſſunt, atque conſpirare inter ſe, vel a ſe mutuo diſſidere; pravitatis, & inſcitiae homini adnatae patrocinium abſurde ſuſciperet, qui nullam eſſe facultatum earum conſtitutionem, & quaſi ſtructuram optimam affirmaret, ſed in ea quemque permanere poſſe, quam forte nactus inter ſuos eſt: omnia recte moribus, inſtitutiſque patriis adminiſtrari; neque vitae rationem ullam eſſe perpetuam, conſtantemque poſſe, quod una cum rebus aliis homines immutentur, ac mores alios poſtulent. Neceſſarium enim eſſe quaſi ſyſtema quoddam facultatum ex omnibus apte reſpondentibus inter ſe coaleſcens, ex ea ſeditione maxime patet, quae, cum ſibi contrariae cupiditates inconſulte, ac temere permiſcentur, in animo commovetur, & a Dione Pruſaenſi oratione de Regno quarta deſcripta eſt. Nam cum vitae

vitae ſtatus, in quos homines impetu magis, atque caſu, quam certo conſilio delati incidunt, in tres potiſſimum tribuiſſet, voluptarium, avarum, & ambitioſum; atque cupiditates, quas Genios cujuſque vocat, ac ſingulis duces praeficit, accurate poetarum more, & modo depinxiſſet ſeorſum alteram ab altera; ſaepe, inquit, duo, vel omnes una Genii ſortiti ſunt hominem eundem, pugnantes inter ſe, maximique damni cujuſpiam denunciatione pro ſe quiſque terrentes eum, qui ſibi deneget obſequium, ut alteri morigeretur. Voluptarius in ea, quae ſenſum aliquem jucunde moveant, omnia profundere jubet; avarus contra retinet; ac minatur, eum ſe fame, ſiti, egeſtate, ſi paruerit alteri, confecturum. Rurſus ambitioſus inſtat, urgetque, ut ille ſe, fortunaſque ſuas honori, & gloriae devoveat; contra parcus idem, & lucri appetens injecta manu retrahit. Neque vero concinunt inter ſe voluptatis cupidus, amanſque gloriae. Contemptor enim laudis alter eſt; nugas agere putat eum, qui dignitati ſtudeat;

mor-

mortemque objicit oculis, qua ingruente nullius est quisquam deinceps jucunditatis particeps; alter autem absterret a deliciis, atque luxuria, dedecoris oblato, probrique metu. Nesciens ille quid faciat, aut quo se vertat, se se crebro ex hominum conspectu surripit, aufugitque in tenebras, ut sine teste libidini pareat; sed ambitio latentem retegit, abstrahitque in medium. Animum igitur huc, illuc abreptum, distractumque, & secum semper pugnantem ad extremum fieri necesse est omnino miserum. Nam, ut morborum semet implicantium, interque se contrariorum difficilis, & anceps cura est; sic animus, ubi cupiditates variae fortuito commiscentur, & intus inclusae discordant invicem, acerbissima molestia, & aegre sanabili incommodo conflictatur. Qui porro systema illud facultatum nostrarum aptum, atque cohaerens ex moribus populi constitui posse putat, qui non hominis cujuspiam sapientis inventum sunt, sed vitae, ac temporis, ut inquit auctor praefatus, is profecto non intelligit, nihil a consuetudine ulla firmi, circum

Orat. 76.

cum

cumscriptique finibus certis expectari posse. Nam, ut idem scriptor animadvertit, consuetudo nulla comprehensione devincta, neque definita est. Quare, cum in dies apponatur ad eam quidpiam, serpit illa sensim longius, & progreditur, perinde ac ulcera quaedam, quae manant in dies latius, & increbrescunt. Neque vero legibus, etsi a viro proficiscantur, cujus exprompta maxime ratio sit, ea corrigi penitus, & in gyrum rationis adduci potest; ut quod lege sanctum est, illud habendum omne sit optimum, & honestati convenientissimum. Latoribus enim legum etiam sapientissimis id accidisse dicendum est, quod ipse de se confitetur aperte Solon; qui, cum rogaretur, legesne optimas perscripsisset Atheniensibus, optimas, inquit, earum, quas accepturi erant. Siquidem homo prudens, ac moderatus verebatur, ne, si Rempublicam undique miscuisset, infirmior esset, quam ut eam constituere ex integro, atque ad optimam rationem conformare posset quae vero seu cohortando, seu vim adhibendo, quam pati poterant, impetra-

Orat. Rhod.

Plutarch. in Solone.

petra-

petraturum se confidebat, ea convenienter inter se vi, justitiaque compositis aggressus est, utilius rebus humanis capiens, aptiusque consilium vir experientissimus, quam rerum formis undique perfectis assuetus Plato, qui vocatus ab Arcadibus, ac Thebanis, ut civitati recens conditae leges poneret, bonum iis tantum abnuit, quod ab aequabili partitione bonorum abhorrere eos intellexisset. Qui demum verentur, ne si legi rationis immutabili velint obstrictum hominum genus, quasi Prometheum quemdam indissolubili vinculo affixum Caucaso obtrudere videantur, ii dum normam nullam certam ponunt, quacum vitae ratio omnis congruere debeat, sed omnia casuum incertorum temeritati deferenda putant, quemdam quasi Protheum invehunt, qui scenae servire sciat, quodque fuerit esse subinde desinat, atque ignoret hodie, quis sit cras futurus, quidve sibi judicaturus bonum. Ji sane, quibus id unum propositum est, ut apud quoscumque sint, habeantur carissimi, praeclarum quidpiam, & pulchrum ducere possunt, Alcibiadem illum,

Dialog. Laert. l. 3. segm. 23.

Corn. Nep.

lum, quem color omnis decere visus est; quippe qui splendissimos Atheniensium splendore ac dignitate vitae superarit, cum Athenis esset; Boeotios magis firmitati corporis, quam ingenii acumini servientes labore, corporisque viribus Thebas incolens anteierit; Spartae Lacedaemonios, quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur, parsimonia victus, atque cultus omnes vicerit; Thracas homines vinolentos, ac ventri deditos in his rebus antecesserit; Persarum, apud quos summa laus esset fortiter venari, luxuriosеque vivere sic imitatus consuetudinem sit, ut illi ipsi eum in his maxime admirarentur. Sed indifferentia ea, qua fit, ut honestum, vel turpe qnidpiam ex eo dicatur unice, quod opportunum, vel intempestivum sit, si longius aequo protendatur, atque pertingat ad ipsa principia ea, quae prima a ratione prodeunt, & in ramulos quasi sparsa multiplices ad singula pertinent, quae recte geri, praveque possunt, ex homine monstrum fit, quo nullum unquam tetrius finxit infinita licentia poetarum. Nam si,

in Alcib.

si, quae feritas, avaritia, luxuries, ambitio protulerunt, in unum omnia congererentur, ac poetarum more, qui multa similitudine quadam inter se convenientia contulerunt in unam formam, ac Jovem, Prometheum, Herculem fabricati sunt, humanum genus in hominem unum contraheretur, eique mores aggererentur ingeniorum, aetatum, ac regionum omnium, quam prodigiosa, quam incondita, quam dissonis, interque se pugnantibus ex naturis coagmentata species exoriretur! Quidquid in fabulis ex diversis animantium studiis conflatum prodigii est, si congregatum unco veluti impacto cohaerere cogeretur, tam foedum, horrendumque visu non esset portentum hoc, ac moribus obducta natura hominis adeo foedis, & ominosis. Quae cum abhorreant ab intelligentiae praestantia, & rationis, quae dux, & praeses homini data est; immutabile quidpiam oportet, ac simplex esse, cujus ad similitudinem consilia mens, ac mores dirigat. Quapropter, etsi res, quae materia constant, omnes fluxae sint; & homo ipse qua parte corpus

est,

eſt, mutationi tempore omni ſubjaceat, atque, ut ait Epicharmus, naturam quisque variet, neque ſtatu in uno maneat, ſed idem ſit rurſus aliud illi, quod nunc tranſiit: ratio tamen, qua differt a rebus aliis, conſtans eſt, ac vitae leges, quae manant ex ea, perpetuae ſunt, & unius modi ſemper, ac ſui ſimiles. Illa quidem occultari ſaepe, ac deſeri poteſt. At ſi prodeat, ac ſententiam rogetur, eadem ſemper conſulenti reſponſa dat, eademque decreta facit. Nam ratio humana, quae circa vitam, & victum ſemet occupat, nata eſt ex ratione Dei, quae artis eſt opifex, & comes omnibus, edocens ipſos, quid uſus maxime facto fiet. Quippe homo non repperit artem, ſed dat hanc auctor Deus. Nempe mens divina leges continet aeternas rerum, & in omnia pertinentes; noſtra vero quodammodo conſignatam ferens ipſarum quaſi partem eam, quae ad rectam facultatum humanarum adminiſtrationem ſpectat, & in omnia ducitur, quae fieri ab homine poſſunt, dum intuetur in hanc, & occaſione data proceſſus ejus attente perſequitur, ubi quid

In Exc. Grot.

Epich. ibid

deliberandum ſit, quid in ſingulis rebus deceat, intelligit. Interdum quidem fit, ut quemadmodum venae, quae a corde profectae funduntur in corpus omne, prae nimia imbecillitate oculorum obtutum fugiunt, cum extimas in partes corporis deſinunt; ſic ubi ventum eſt ad actiones eas, quae minimi momenti ſunt, vix ulla ſit mentis acies, quae rationis eo pertinentis internoſcere diſtincte praecepta queat. Sed haec infirmitati mentis noſtrae venia danda eſt, ut impune minima quaedam vel agere inconſiderate, vel imprudentia praeterire poſſit; quippe, quae tanti non ſint, ut ea non contemni ſocietatis humanae permagni referat. Immo vero quoniam illecebrarum omnia plena ſunt, multae patent ad errorem viae, multi praeſto ſunt ad fraudem duces, multae propellunt in praeceps, animumque diſtrahunt cupiditates, detur aliquid moribus, detur inſito ingenii vitio, detur illi ſuavitati humanitatis, qua delectantur homines, & quam qui repudiet, ei Deos iratos putant, dummodo qui cupiditati quidpiam indulſerit, excuſatione, quacumque

poſſit, .

possit, utendum sibi intelligat, minime vero profiteri audeat fecisse id se, quia liceat. Fateatur id ratione non annuente, sed connivente factum; quae cum veritati adhaerescat, omnium, ut ait Plato, Diis, hominibusque bonorum duci, stabilitatem eamdem habet, atque ab omni cupiditatum, opinionum, morum levitate, inconstantia, temeritate, perturbatione sejuncta est; neque probare quidpiam potest, quod ab aequabilitate, & constantia moderati, rectique animi abhorreat.

l. de Leg. 5.

CAPUT II.

Qua ratione, & via de rebus ad vitam pertinentibus opiniones exortae sint.

I. QUemadmodum ex evolutis hominum facultatibus variae cupiditates ordine pullularunt; sic & opiniones de rebus expetendis ad easdem accommodatae prodierunt; atque, ut morum, ita errorum series infinita quaedam ex multis continuatis, aliisque alios apprehendentibus connexa est.

est. Nam judicia, quae de rebus feruntur, ex affectione animi cujusque profluunt, & affectionibus roborantur conspirantibus aliorum, quos inter est quisque situs. Ut enim quisque affectus est, ita de rebus judicat; at si judicia ea, cum fere nihil ipsa per se firmitatis habeant, aliorum judiciis eodem annitentibus minime contineantur, facile diffluunt, & evanescunt. Sin autem consentiant multi, visaque lineamentis iisdem conformata proferant, singuli conferentes inter se commenta sua, conjectant ex ea similitudine, quae cernitur inter ipsa, non ludificari se specie aliqua inani; sed ipsam rei cujuspiam concretae, ac solidae formam in visis iis intueri. Ex quo fit illud primo, ut homines ea summa censeant, quae maxime congruere secum, & exaequari putant. Nam se quisque Protagorae more rerum omnium quasi mensuram arbitratur, ut qualia cuique singula videntur, ei talia reapse sint. Quare metienda ducens ex se ipso omnia, eo quidque majus esse statuit, quo propius id ab illo abest, quod ipse capere potest maximum,

Plato in Crat.

mum,

mum. Ubi vero vel adeptus quis eſt, vel adeptum ſe opinione ſtulta retur, quae capacitatem explere ſuam poſſunt, nequaquam exiſtimat eſſe ſibi factum ſatis, ea ſi magni faciat ſolus; ſed operam dat, & enititur, ut alii pariter ipſa illa ſummo in pretio habeant. Quo enim magis admirantur, atque ſuſpiciunt ea, quorum ipſe potitus eſt, eo pluris aeſtimari ſe neceſſe eſſe videt.

II. Ut quis igitur de ſe judicet, ac de rebus extra poſitis, ſe nequaquam in ſe ipſo quaerit, ſed in iis, quibus undique circumfunditur imaginibus vanis; ſeque inſpicit in ea judicia, quae caeteri larvis eiſdem obvoluti de ipſo ferunt, adſcita ſpecie illa contecta, quae fallaci, turbidoque ſplendore fucum facit animi quaſi perverſis oculis, & humore ſuffuſis. Quamobrem iis, qui praeſtigiis ejuſmodi corrupti ſunt, & inter homines eiſdem corruptos poſiti, ferme id accidere neceſſe eſt, quod eſſet illi obventurum, qui non integris, & incorruptis inſtructus oculis in aede ſpeculis varie coloratis, ac figuratis undique obdu-

cta medius locaretur. Hic enim quoquo se verteret, membris se colore novo subinde infectis, & varia forma praeditis, varieque junctis inter se coagmentatum intueretur. Silus, flaccus, fronto, capito, strabo, varus, valgus momento temporis esset; eique se nunc miris modis distorta, nunc apte etiam, ac venuste conformata species objiceret. Ille vero avertens oculos ab imaginibus iis, quae deformem aspectum habent, haereret in iis, quae lineamenta pulcherrima, floremque pigmentorum suavissimum praeseferunt; ac praesertim, si plura specula formam pulchritudinis eandem reddant, eam sibi fidentius tribueret, ex eaque de se judicaret; reliquas autem figuras, etsi quaepiam similitudinem sui gerat, a se constanter abjudicaret, ac tanquam oculorum ludibria contemneret. Haud absimili modo praesertim is, qui plurimorum in oculis habitat, & in excelso locatus e media turba eminet, omni ex parte circumseptus est multitudine hominum, a qua varie exprimitur, effingiturque ductibus linearum, & coloribus iis, quos cupi-

cupiditates, & ingenium cujusque suppeditare solent. At inter aequa, & iniqua judicia, quae de se fieri videt, ea despicit omnia, quae sibi minime favent; quae contra maxime amplificant opinionem eam, quam de se imbibit, ea vera putat, in iis defixus haeret, sese ex iis aestimat, ac rebus aliis, quae extrinsecus applicatae, & adjunctae splendorem augent, & magnitudinem. Imperator enim, qui militum virtute, ac viribus, imperio, ductu, & auspicio suo vastarit agros, hostium vim fuderit, gentes terrore compleverit, urbes ceperit, & praeda, agro, adorea populares affecerit, quandocunque de se cogitat, se non intuetur unum, sed ut imaginem sibi fingat sui, cogitatione, & mente complectitur milites dicto audientes, praelia confecta, transmissa flumina, regiones victoriis peragratas, provincias in ditionem redactas, monumenta, munera, triumphos, omnemque posteritatem res gestas legentem suas. Quae dum illi obversantur omnia tubarum sono, clamore militum, acclamationibus civium obstrepentia, se se hominem es-

se obliviscitur; neque animum advertit, se, quamquam caput inferat nubibus, & illa parte sui populo secernatur, pedibus insistere solo, populoque permisceri parte hac. Qui vero pauca admodum habet, quae se illi e proximo offerant, ejusque speciem reflectant magnifice illuminatam, oculos ad ea porrigit, quae longe ab se remota sunt, & exangui, ac evanida imagine ea mirifice delectatur, quae remitti a rebus situ obsitis e longinquo potest. Id ii faciunt imprimis, qui sibi claritatem atavorum adsciscunt, eaque una se se late splendescere posse arbitrantur, etsi nitor imaginum fumosarum, siquis ad hos permanare possit, intercapedine tanta extenuetur, umbrisque interpositis obscuretur adeo, ut ne discerni quidem possit, aspectumque plane fugiat. Demum siquis externo adjumento omni destituatur, seque se involvat uno, is bombycum more quoddam sibi quasi tegumentum texit, ac nova subinde quasi pictura interpolat, ex eoque se spectat. Etsi vero opinio sui, quam pro lubitu ornavit, omni momento dese-

ratur,

ratur, quod a comprobatione, consensuque aliorum adjici solet, ei tamen adhaerescit, eamdemque firmam, ac stabilem esse retur; caeteros autem vel stultos praedicat, qui recte propter inscitiam judicare nequeant, vel invidos, qui propter animi perversitatem limis oculis intuentes omnia depravent. Adeo Chilonis illud, nosce te ipsum, a communibus moribus amandatum est; quo praecepta tria contineri docet in Philebo Plato, nimirum, ut se quisque cognoscat, & sua, & quae suorum sunt: sive, ut Porphyrius apud Stobaeum explicat, internum primo, & immortalem hominem; tum umbratilem illum exteriorem; ea demum, quae ad utrumque pertinent: nempe mentem, in qua existit id, quod homo appellatur; corpus hoc obiectum sensibus, quod umbra cujusque dumtaxat, & imago est; corpori denique circumjecta, quorum facultates scire debemus, ne partis immortalis dignitas mortali tribuatur, aut mortalis utilitates traducantur ad immortalem. Serm. 21.

III. At plerique consensione quadam

dam incredibili partem sui potiorem eam esse putant, quae sensuum instrumentum est, quod hujus sit evolutio prior, & usus in vita frequens, eaque afficiamur vehementer omnes: quae contra intelligentiae, ac rationis particeps est, ea prope confunditur cum vanis imaginibus iis, quas a corporibus fluentes olim somniavit Epicurus. Nam, etsi haec intima nobis inhaereat, ac plane coelestem vim, & naturam habeat, minus est tamen familiaris, exeriturque serius, & leniores, quam sensuum, motus cogitationis sunt. Rerum autem externarum esse illas excellentiores autumant, quibus incitatius promoveri solent; & majores, quae latiorem occupant quasi locum in animo perturbata mentis agitatione quodammodo inflatae, velut aqua subditis ignibus effervescens. Quare missis rebus ipsis imagines earum contuemur, admiramur, amplectimur; ex his bonorum genera definimus, in species tribuimus, ordinamus, vimque singulis, ac naturam affingimus. Quibus constitutis quandocumque de bonis, ac malis decernendum quidpiam est, id plane facimus,

quod

quod olim philosophi quidam solebant, cum physicis de rebus esset sermo institutus. Nam, ut hi vocibus excogitatis universalibus quibusdam, ad quas referri oportere statuerant quidquid de rerum natura quaeri posset, ex his interrogati promebant interpretationes suas, ratiocinabantur ex his, & ablegata investigatione naturae, scientiam omnem terminabant apta, & artificiosa collocatione verborum, quae rerum in locum substituta tractari commode poterant; ita bonis, eorumque gradibus descriptis ex simulacris iis, quae a sensibus inchoata vis imaginandi perfecit, & expolivit, cum deliberandum est, quid appetere oporteat, alterive praeferre, non ea quidem convenientia spectatur, quae rerum nobiscum est, sed exquiritur unice, qua ratione comparata sint inter se figmenta illa, quae nostri, ac rerum ipsarum vicaria successerunt.

IV. Primum autem, quod esse sibi plerique expetendum constituerunt, illud est, ut objecto impedimento nullo voluptati obsequi possint. Jam tum enim, cum facultates aliae consopitae

torpent, aut involutae latent; ſenſus viget expeditus, per quem ea ſe ultro nobis etiam imprudentibus inſinuare ſolet. Impedimenta vero in homine ipſo, vel extra ſunt. In ipſo imbecillitas eſt, pravitaſque ſenſuum; extra ipſum inopia rerum earum, ex quibus voluptas capitur, vel earumdem uſui vis obſiſtens illorum, quos inter eſt quiſque poſitus. Quare, tanquam adminiſtrae voluptati adjunguntur integritas ſenſuum, affluens copia rerum earum, quae ſunt ad ſenſus accommodatae, & poteſtas perfruendi rebus ipſis arbitrio cujuſque ſuo: primum videlicet, ne quaſi ſubſtratus deſit, qui voluptatis efficientia recipiat; alterum, ne recipienda quaſi materies abſit; tertium denique, ne receptio ipſa praecludatur.

V. Quia vero carendo magis, quam potiundo ſentimus; quam commoda nobis ea ſint; quibus opinione aliqua conciliati ſumus, quippe qui boni cujuſpiam intermiſſi cupiditate diutius incendimur, ne quid in animo quaſi vacuum, hianſque ſit, quam retenti laetitia, quae ſenſim langueſcit uſu, ef-

fera-

feramur; saepius autem externa desunt nobis adjumenta voluptatis, quam sensus ipsi, quorum etsi vis in aliis alia sit, expletio definitur ea capacitate, quam quisque ab initio nactus est; iccirco se crebrius exerit, erumpitque acrius cupiditas libertatis, & opum, quam incolumitatis corporis. Quae quidem cupiditas quanto vehementius exardescit, tanto etiam voluptatis ipsius, cujus causa succrevit, extenuat, absumitque cupiditatem; ac sensim fit, quod animis praesertim elatis accidit, ut ea dominetur una, voluptasque divitiis cedat, ipsaeque divitiae libertati serviant.

VI. Sed cum saepe contingat, ut eadem multi aeque cupiant, idque eo crebrius evenire necesse sit, quo plures inter se vicini sunt, & finitimi (omnibus enim earundem facultatum exercendarum appetitus idem inest) nulla vero rei cujusque finitae magnitudo tanta sit, ut cupiditatem omnium infinitam partita expleat; propterea, si aeque omnes possent, a caeteris eodem concurrentibus repelleretur quivis unus, qui transferre ad se quidpiam seorsum vel-

let

let ab aliis. Quamobrem, cum libertas, quae viribus omnium exaequatis nititur, sese tueri possit inter eos tantum, qui vel inertes omnino sunt, & se perpetuo languori tradunt, vel ad ea studium omne contulerunt, quae cum iis, quae sensus movent, nihil plane commune habent; eapropter in omnibus, qui viribus, animisque vigent, amori libertatis adnascitur appetitio dominatus; aliisque potestate antecellere summis in bonis annumeratur; & in eundem censum venit, quidquid vel principatum imitatur, vel quidpiam ad ipsum conferre potest.

VII. Ea porro potentia viribus est comparanda vel propriis cnjusque, vel conspirantibus aliorum, unaque consociatis. Vires autem cujusque propriae continentur robore corporis, industria, solertiaque mentis, & vehementia quadam motuum eorum animi, quibus ad res arduas inflammari, perque invia, praerupta, & septa trudi solemus alacriores. Tanto enim magis quisque valet, quanto rapitur incitatius ad expromendas facultates suas; ipsaeque facul-

cultates majores sunt ; quanto nempe quidquid objectum difficultatis est, contentius invadere, callidiusque cavere potest. Quapropter multos olim latera, lacertique nobilitarunt, ac summo studio celebratae dignitatem quamdam habuerunt exercitationes eae, quibus agilitas, firmitasque corporis augeretur, animique pararentur ad contemptum dolorum, ac rerum terribilium despicientiam. Deinceps vero perspicax sive prudentia, sive calliditas, qua rerum gerendarum vel adjumenta quaeri, vel impedimenta dispelli quoquomodo solent, tanti facta est, ut ea laude quicunque excelleret, proximus is Diis ipsis haberetur, & eorum putaretur interiore congressu frui.

VIII. Verum, cum quantacunque vis ea sit, qua quivis unus instructus est, exigua admodum existimari debeat, si cum aliorum omnium, qui resistere possunt, viribus conjunctis conferatur; iccirco nulla neque magna potentia comparari, neque conservari diuturna potest ab eo, cui se plurimi non addixerint. Alios autem, ut connitantur nobiscum, inducere fere solent

inco-

incommodi metus, aut utilitatis spes, aut opinio praestantiae cujusdam eximiae, quae non usitata specie aliqua percellat oculos, & magna quaedam, multisque profutura polliceatur. Praeclare itaque nobiscum actum arbitramur, si multi nos aut metuunt, aut amant, aut magni faciunt: eaque signa omnia delectant, & splendoris aliquid habere videntur, quibus aliorum magna de nobis opinio significari solet; eoque laudis, & honoris, & dignitatis existunt acerrimae cupiditates.

IX. Atque nos ut metuant infensos, ea efficiunt, ex quibus conflari vires cujusque diximus, ingenium audax ad omnia capessenda, mentis acumen versutum, ac solers, nulla in labore corporis, animive defatigatio, & quae fere consequuntur haec, confidentia minax, jactatio arrogans, praeceps, impotensque furor. His quidem, mansueti qui sunt, facilesque moribus adversari non audent absterriti metu quodam injuriarum, & interdum obsecundant, ut incommodis levioribus extrema damna redimant: qui vero natura vehementes, ac feroces sunt,

ultro

ultro se adjungunt spe ducti ea perficiundi, quae repugnantibus illis audere periculosum esset. Nam, quae maxime nocent inimica, si foedere aliquo devincta forte nobiscum sint, maxime prosunt. Omnes autem diligimus praesertim eos, qui cum facile possint in alios esse injuriosi, bonitate naturae quadam adducti beneficiis potius, quam vi plurimos obstrictos sibi tenere student; nobisque ipsis praesidium certum munire nos, & ornare arbitramur, si eos augeamus, iisque deferamus operam omnem, qui cum opibus abundent, non has quidem ad oppressionem seu fortunarum, seu libertatis infirmiorum conferunt, sed civium vel afflictorum auxilio, vel florentium dignitati, vel universorum in theatro, & spectaculis oblectationi expositas esse, patentesque volunt. Eos denique solemus admirari, qui, vulgo quae timentur, aut avide cupiuntur, contemnunt, ac negligunt; aliisque seu concedentes, seu parantes etiam, ac tuentes ea, quae sunt utilitatis alicujus, aut voluptatis efficientia, fructum laborum nullum quaerere videntur prae-

ter laudem, & gloriam. A qua cum plerique se procul abesse videant propter inopiam adjumentorum eorum, quibus ea sustinenda est, vel se ultro abdicent occupationibus iis impediti, quibuscum ea consuescere minime potest, non modo non invident aliis possessionem eam, quae usui minime sibi est, sed addici etiam hanc ipsis, latissimeque continuari sua magni referre putant. Quis enim ea re, quae, cum a se trasferatur ad alios, nullum sui desiderium relictura sit, remunerari nolit utilitates illas, quibus aegre carere potest; easque virtutes invitus alat, a quibus uberrime bona illa funduntur, quae vita ipsa sibi cariora sunt?

X. Ex his, quae ad potentiam, opesque magnas plurimum valent, metus ad patientiam, obsequiumque demittit; admiratio consuetudine laudum effusarum assentationem parit, quae turpissimum servitii genus est; expectatio commodorum ad amicitiam allicit, clientelas adjungit, adnectitque propinquitates. Quae cum potentiam nulla vi cuique facta augeant, ob eam causam praesertim magni fieri solent,

&

& cum habeant amplitudinis, ac dignitatis ſpeciem quandam, ipſa per ſe magna videri poſſunt. Quia vero quanto vetuſtiora ſunt haec, tanto radices altius egiſſe, latiuſque fudiſſe neceſſe eſt; icirco generis antiquitatem rebus geſtis majorum, qui procul a temporibus abſint noſtris, nobilitatam excellens aliquid eſſe remur; ac tanto huic arctius adhaereſcimus, quanto, remota quae ſunt, invidiae minus ſubeunt, eique praeſtantiae dignitatis, qua quis eminere velit e caeteris, favetur magis, ſi ſpecie quadam vetuſtatis obtecta in vulgus prodeat, quod ea tum non adſcititia quidem, aut aliis callide praerepta, ſed a natura ipſa tributa quodammodo videatur. Homines enim, ut praeſentibus invident, ita procul a ſe disjunctos efferunt; & quod illis avare negant, aut eripiunt inique, largius in hos, auctiuſque profundunt. Nam finitimis quidem quantulumcunque acceſſerit incrementi, verentur, ut magis emineant, quam ut ſe e regione poſitos videri magnum aliquid ſinant; immo vero male ſibi cautum putant, ſi quid iis aut labis aſperſum, aut inſita

de laude limatum non ſit : quod inprimis tum accidit, cum rebus ſuis ſubdiffidunt, vel earum rerum quibus ipſi valent, jacere pretium, ſeu ſtabile, ac certum nondum eſſe conſtitutum vident. Procul autem a nobis diſſitis quantacunque tribuantur, metuit nemo, ſibi ne quid officiant. Longius enim abſunt hi, quam ut ſecum conferri queant; ad eoſque amplificandos quiſque mirum in modum pronus eſt, ut eoſdem removeat ab ſe, quam maxime poteſt, & cum iis ſibi ne contentioni quidem relinquatur locus, ſi non inſanus haberi velit. Nam certare cum iis, qui quodammodo conditionem humanam praetergreſſi ſint, incoeptum audax habetur, inſaniaeque contermimum. Quare cum de rebus antiquis judicium ferendum eſt, id his quodammodo accidit, quod imaginibus e laterna megalographica prodeuntibus; quae tanto latius exporrectae cernuntur, quanto ſunt longius impedimento objecto interceptae. Hanc autem proclivitatem hominum obſcuritas ipſa temporum adjuvat. Nam ut Nilus flumen ideo ſanctius olim habebatur,
de-

deque illo mira omnia fingendi potestas erat cuique data, quia fontes ejus in abdito delitescebant; ita quo generis occultior origo est, ac magis a memoria omni recedit, commentum nullum respuens eo fidentius admittit, quidquid admirabilitatem aliquam afferat, ac Diis ipsis locet finitimam. Hinc ut decorum, pulchrumque visum, ita gentibus usitatum fuit a temporibus notis primordia sua removere, atque in obscura conjicere, quo augustiora ea facerent, & pigmentis fabularum in tanta caligine luce nulla dissipandis illuminarent.

XI. Etsi vero habeant haec magnitudinem quamdam, impleantque oculos; tamen languescunt quodammodo, nisi quidam ea motus animet, ac novus identidem splendor instauret. Nam, ut imago e longinquo emissa quo latius funditur, eo diluatur magis necesse est, atque vivacitati subtrahatur, quod est amplitudini adjunctum; ita quae commendatio, & auctoritas a majoribus propagatur, si praesidiis aliis destituta sit, suppeditare quidem ad ostentationem aliquid potest, habet au-

tem ad potentiam nervorum parum. Quare ut in ea sit plurimum & splendoris ad oculos multitudinis percellendos, & momenti, ac ponderis ad permovendos animos, illuminanda divitiis est, quae sumptu, & magnificentia prodeant, aut exsuscitanda contentione orationis, & facultate dicendi, cujus est admiratio maxima in populo, usuque plurimus; aut roboranda virtute, & consilio, quae factis illustribus declarata sint, & in conspectu posita.

XII. Ac primum quidem, si copiae suppetant, cum facillimum est, tum vero ad popularem laudem accommodatissimum. Nam etsi plerumque soliditatis ei subsit nihil, quod a levitate quadam, atque temeritate proficiscatur, tamen eam speciem habet, qua mirifice delectari vulgus, & capi solet. Magna enim illecebra est opinio munifici animi, splendideque pecunias effundentis; ut is etiam, ad quem utilitas nondum ulla pervenerit e sumptibus iis, diligat illum, deque illo multa honorifice praedicet; quippe qui fructum, quem nondum cepit, jam

con-

conjectura praecipiat; cum paratum illud omnibus, & commune perfugium existimet. Ac si sumptus eas in res facti sint, ex quibus accedat ad civitatem insigne decus, tanto id celebrant magis, quanto sibi quisque gloriosius esse putat extare quidpiam inter suos, quod oculos exterorum alliciat, & adventantibus ostentari magnifice possit. Duorum autem posteriorum oratio quidem, si fluat ab homine motibus animi vehementibus agitari solito, torrentis instar obvios quosque abripit, abreptosque circumagit. Ac si forte incidat in ea tempora, quibus homines impendentis mali terrore dejecti, vel dati spe rerum novarum sint, nihil ea potest exoptare opportunius. Nam qui sonantibus verbis, uberibusque sententiis meliora fidenter animo pendentibus, afflictisque polliceatur, & bene sperantibus, ad audendumque projectis assentetur omnia, se se in sententiam ejus ultro rejiciunt ii, qui conciderunt animis, erigique cupiunt; seque ei magna voluntate committunt, quibus jam excitatis dux opus est. Rerum vero gestarum magnitudo sive

fortitudinis, & prudentiae, sive felicitatis opinionem ingenerat. Nam si gradus sint omnes explorati, per quos eventa progrediuntur, ea consilio, & industriae tribuuntur illorum, quibus rem gerentibus obtigerunt, tantumque singulis existimationis, & laudis rependitur, quantum ad ea quisque operae contulit. Sin haec implicata sint nimis, & progressus lateant, adscribuntur ignotae potestati cuidam, quae fortuna dicitur; iisque sese tradunt homines alacritate, ac studio summo, quibus ea, quam omnia posse putant, adfuerit saepe comes. Quare tum disertis, tum laboriosis, ac fortunatis honos est maximus a multitudine nunquam non habitus, quod illi speciem quamdam utilis, ac robustae sapientiae secum in scenam afferant; hi vero nervos, & vires ad res gerendas applicent, & favorem erga se, studiumque rerum humanarum gubernatricis, ac dominae praeferant.

XIII. Sed cum eloquentia popularis impetum quemdam, & fervorem animi flagitet, quo commovere alios, & impellere valeat arbitratu suo, rerum

autem

autem inquisitionem penitiorem neque sustinere mens insolentibus agitata motibus, neque in rebus agendis occupata multitudo ferre possit; isque fere sit ad assensiones in populo crebras excitandas aptissimus, qui rerum a populi sensu abhorrentium contemplationis impatiens est; hinc eloquentiae, sapientiaeque verae, ac solidae factum est discidium; ac diserti, qui dominari in concione vellent, sapientibus amandatis ad umbracula ab omni celebritate seposita, dum hi semoti stultas opiniones emendare nituntur, easdem ipsi callide fovent; utque vulgi studia aucupentur, colore omni illitas admovent ad coetus hominum; ac tanto prudentiores habentur, & cariores sunt, quanto recedunt minus a judiciis iis, quae cupiditati moribus usitatis inditae favent.

XIV. Tamen etsi scientia rerum abditarum a negotiis communibus repudietur, & a populi sensu longe disjuncta sit, aditus ei quidam relictus est, quo possit arrepere ad vulgus ipsum. Hic autem ducitur ab admiratione ea, quae rerum difficilium, ac recon-

reconditarum opinione commoveri solet, si quo cultu splendido, minimeque ignoto illustratae prodeant. Nam, ut est in Bacchis Euripidis, tenebris majestas quaedam adest. Hinc eorum, qui se doctrinae studiis unice dediderunt, opera non equidem vulgus utitur, quod ea parum conferat ad illa paranda, quae sibi utilia arbitratur; neque propterea labores umbratiles rebus iis remunerandos, ornandosque censet, quae negotiosis hominibus, industriisque putantur adjudicatae; sed tanquam excellens quidpiam digito monstrat, & honore quodam, atque veneratione dignatur, tanquam Epicuri Deos in intermundiis illis suis otiosos, & sua sapientia, ac virtute gaudentes.

XV. Ea vero propensione, qua communiter homines adducti suspiciunt res inusitatas, otioque eo, quod ex doctrinae laude potentiam, & opes quaerentibus plus, quam vellent, concessum est, abutentes quidam, ea saepe consectantur, ut admirabiliores appareant, quae vel difficilem cognitionem habent, eandemque prorsus inutilem, vel novitate aliqua, dum mentem excitant, judicium

ever-

evertunt, animumque corrumpunt. Nam quo ſemotiores a caeteris aetatem agunt, ac ſibi relicti per omnigenas idearum ſeries errare liberius, expeditiuſque poſſunt, eo magis ab aliis, ut uſu, & prudentia rerum, ſic opinionibus ac ſententiis plerumque diffident; & cogitatis undique congeſtis indormientes inania ſomniant, aut aeſtu mentis agitati, deliranteſque portenta vident. Verum cum, ſe ſe ut populo venditent, utilitates, quae re praeſtari non poſſunt, inauditas magnifice jactent, ac ſpondeant; admiratio decepta rerum expectatione in contemptum deſinit; vel dum nubes captant, cum turpiter offendant in iis, quae ſunt in conſpectu, & uſu communi poſita, hos ſanus quiſque tradi illis oportere cenſet, qui jocularia tractant, ut populo deridendos exhibeant; vel dum nova quaedam, & inopinata proferre laborant, cum ea obtrudant, quibus aeque repugnant & mores, & ratio, quicunque ſe contagione foeda pollui minime velit, hos tanquam ominoſum aliquid, & Averrunco Deo dignum ab ſe removet. Quocirca dejecti ſpe ſua

que-

queruntur iniquitatem judiciorum, ſtultitiam carpunt, ac ſtuporem vulgi; opiniones eas, quas diuturnus confirmavit, auxitque labor, exploſas ab aliis recipiunt rurſus ad ſe; quamque tulerunt repulſam conſolantur laudibus iis, quibus inter ſe large ſe onerant; ac ſibi mutuo ſpondent aequiora judicia poſteritatis adducti fatis eorum, quos a ſuis, cum viverent, neglectos ipſi loco ſummo habent; quoſque, praeſentes cum eſſent, deſertos, ac ſolos fuiſſe legunt; nulli vero cum ſunt, obſervari, colique vident.

XVI. Rerum demum ad expetendum propoſitarum ſunt adminicula varia, quae tanti haberi ſolent, quantum ad res ipſas adjumenti afferunt; & quanto res ipſae, quibus famulantur, in pretio ſunt. Sic ubi luxuries dominatur, omniſque ſapientia ponitur in expendendis, eligendiſque deliciis, ſumptuoſa lurconum gula dignitatem ſummam conciliat iis, qui, ut ait Plautus in Pſeudolo, condita prata in patinis proferunt, & herbas herbis aliis porro condiunt; eis denique poteſtatem gloriandi, facit immortalitatem ſe reperiſ-

periſſe, & convivas omnes feciſſe Deos, ut nebulo quidam ajebat in Milite Philemonis; & oculorum, auriumque laſcivia maximos honores habet mimae, pſaltriae, tibicinae, ſaltatriculae; quodque Alexandrinis Dio Pruſaenſis exprobrat orat. 32. decorum eſſe, magnique animi putat, ſe ſe pro cantrice morti offerre, ſervumque hominem vocat, cuncto conſeſſu plauſu dato, ſervatorem, ac Deum.

XVII. Eorum igitur, quae homines appetere magna opera ſolent, haec ſumma capita ſunt; quae quidem ita digeſſi, ut ultro appareat origo cujuſque, & ſpecies ea, qua ſe ſe imprudentibus commendarunt, aut falli volentibus cauſam aliquam ineptam ſaltem, falſam, iniquam obtulerunt ea magni faciendi, ne nullam prorſus habere viderentur. At minime putandum eſt ita ſingulos ordinare cupiditates ſuas, ut haſce ad omnia aeque adjungant. Neque enim omnes aeque omnibus apti ſunt; neque, dum ſemel quidpiam pro varia ſeu natura cujuſque, ſeu vitae, temporumque ratione mentem, animumque occupavit, alia

aeque

aeque vel aestimare, vel ut assequantur eniti possunt. Quare pro diversa vel mentis vi, vel affectione animi, vel conditione vitae, vel gentis consuetudine, alia aliis praeponi, alia referri ad alia solent: & in singulis quisque conquiescit, vel iis tanquam hospitio utitur occasione data ultra perrecturus. Nam qui commodis abundat, & animo quidem alacri, fervidoque, sed inconstanti una, ac levi praeditus, & si sensu aliquo non occupetur, otiosus fere est, is in voluptate consistit, ac adjungit ad eos se, qui vitam solutam, & vacuam curarum severiorum unice probant. Quare quod a conviviis, a theatro, a spectaculis, ab alea otii datur, occupant illud, explentque gerrae inanes, scurriles joci, nugarum indagatio percuriosa, sermonesque ii, qui cupiditati possint illecebra aliqua lenocinari. Qui pollet ingenio, si strepitum ferre nequeat, se se fere abdit in artium reconditarum studiis; sin is sit, qui commovere se facile possit, animisque valeat, ea fere studia consectatur, quae jactationem in populari celebritate habeant, iisque vel avare ad quae-

stum,

ſtum, vel ambitioſe ad laudem, & gratiam abutitur. Qui liberalem a natura indolem accepit, aditumque a fortuna impetravit ad honorum gradus, is amplitudini inſervit, eoque ſpectat, ut gloria domi, aut militiae parta floreat, & cauſam celebritatis, ac nominis transfundat in poſteros. Audaces ad omnia ſi nulla ſpe domi detineantur, ſe ſe fortunae tradunt, eamque vel ſequuntur quocunque vocat, vel ambiunt, idque punctum captant, quo ſe ſe exorari ſinat, & aditum reſeret ad expromendas, exercendaſque facultates eas, quae finibus exiguis contineri nequeunt. Induſtrii, navi, laborioſi, qui vel reſpuunt honores propter animi illiberalitatem, vel ab his propter obſcuritatem generis reſpuuntur, fere divitiis inhiant, omnia ponunt in pecunia, ſuumque defraudantes genium, diſperdendas a nepotibus opes congerunt. Inepti contra, ſed claro, & honeſto loco nati jura tuentur, oſtentantque nobilitatis; honores, quibus aliena virtute partis, luce quaſi aliena nitent, glorioſe, & magnifice jactant; cumque nihil omni-

no

no praestent, addantque de suo, deberi sibi summa omnia arbitrantur. Hilares, amoeni, comes leporem omnem, ac venustatem amant, seque dare solent ad artes eas, quae festivitate, sive jucunditate aliqua delectant, cavillatores faceti, convivae commodi, obsonatores optimi, strenui comissatores, in amoenis rebus, ac voluptariis adversi nemini. Contra feri, & concitati dissidiis oblectantur, inimicitias ultro suscipiunt, ut esse videantur animi magni, pejorem in partem omnia trahunt, ne parum solliciti, & anxii dignitatis vindices habeantur ab sui similibus; ac sibi tum maxime placent, cum viderint alios nihil tam providere, quam ne vereri parum videantur irritabile genus hominum, & jurgii subinde causas inferens; tumque se honore maximo affici putant, cum sanus quisque ab se maxime cavet, ne insanis serviat. Qui denique segnes adeo, tardique sunt, ut a caudicibus absint quam minimum, quae vitae vitalis id unum habent, ut ali possint, ibidemque gignuntur, & consenescunt, nihil ultra postulant, quam, ut neque de loco movean-

veantur, neque sibi plus oneris imponatur, quam quo se mentis aucta, corporisque otio sagina ipsa gravat. Denique, ut affectionum animi, aut corporis, ita cupiditatum, & opinionum infinita quaedam varietas est. Id enim fere quis appetit, & appetendum esse judicat, in quo maxime naturae munere habilis est; nisi saepe institutio, & ratio interdum alio devocet.

CAPUT III.

Qua ratione tradita, & quibus ex fontibus hausta sint praecepta de vita, & moribus.

I. Opiniones eae de rebus expetendis, quas aut sensus indidit, aut imaginatio adornavit, aut mens, & ratio sensim expedita protulit, ad artem, & ad praecepta revocatae sunt. Quae quidem praecepta primo rudia fuere, cum neque meliora promere, qui tradebant, neque subtiliora ferre possent ii, quibus illa tradebantur. Concinniora deinde, atque una robustiora

extitere, quod exculta paullatim, atque corroborata ingenia essent; & quae docebantur, ex ipsa natura rerum se se prodente gravissimis in negotiis elicerentur ab iis, qui rebus gestis interfuissent. Postremo ab hominibus otio abundantibus, & in umbraculis ab omni rerum gerendarum luce seclusis adeo minute concisa, exsiccata, & curatura fuere quasi reddita juncea , ut subtilitate nimia vanescerent, ac multitudinis intelligentiam fugerent; aut adeo quasi vepribus interclusa disputationum, atque concertationum, ut omnino deserta exolescerent; & cum essent a vita communi plane repudiata ad inanem ostentationem ingenii ventilarentur, & in nova subinde monstra degenerarent. Qua ex ingeniorum perversitate, sive acumine importuno detrimenta summa consecuta duo sunt: alterum, quod incerta fecere, quae certissima sunt; alterum, quod ii sunt maxime relicti, quibus erat potissimum consulendum. Nam cum nubes quidam, & inania captarent, cultuque, ac moribus non magis ab humanitate, quam genere lo-
quen-

quendi, ac sentiendi inusitato a communi sensu abhorrerent, ab se, praeceptisque suis avertebant eorum animos, quos attentos maxime, sibique deditos habere debuissent. Deinde cum vitae leges ad ea principia redigerent, quae difficile ab iis percipi poterant, qui multum non essent in rerum abstrusarum cognitione versati, vel dubia saepe, & interdum etiam plane commentitia deprehendebantur, recti, honestique vim infirmarunt, & evidentiam infuscarunt, dum, quod simplex est, insitaque luce illustratum, consectarium esse voluerunt effati alicujus altius repetiti, quam oporteret, vel arbitraria positione tantummodo nixi. Quemadmodum igitur ex hominum cupiditatibus se se occasione data evolventibus opinionum, & morum dissimilitudines, & conversiones ductae hactenus, & adumbratae sunt, ne quae cupiditates ingessere, confundantur cum iis, quae natura ipsa commendavit; ita ex eorumdem mentibus usu rerum expolitis, & apparatu instructis multiplici notionum se se identidem ingerentium rationes eae derivatae se of-

ferent, quibus varie temporibus variis formari mores coepti sunt; & fontes ii deprehendentur indicio certo, ex quibus praecepta omnia fluxerunt; ne purum id, ac liquidum existimetur, quod a lutulento saepe fonte haustum est.

II. Ac vetustissima quidem instituendae vitae praecepta fuerunt exempla ipsa, quae oculis objiciebantur, aetate provectiorum. Natura enim ultro deferente rudes homines ea fere sequuntur, quae fieri vident; & inculto ingenio, atque cupiditatibus oppido contractis instructi pro lege vitae facta parentum habent, quae nulla mentis opera intercedente per sensus illabuntur in animum, in eoque perdiu inhaerescunt. Nam cum nemo plane otiosus esse possit, quod interiore motu perpetuo cieatur, efficaci trahimur omnes ad imitandum studio nec opinantes ea, quae cernimus, qui modus est agendi facillimus; & cum eo sint sensus acriores, quo mens cessat magis, & imagines, quae per sensus influunt in animum, eo distinctius, altiusque infigantur, quo magis in vacua veniunt;

eapro-

eapropter quae ſpecies oculos impulerunt ſemel, coram adſunt diu planae, & expreſſae, continenterque movent; ut eaedem ſint cum incitamenta ad agendum, tum norma, ac regula, ad quam dirigantur incoepta omnia. Quare multitudinem imperitam videmus eorum ſe ſe auctoritate fere tueri, quos imitandos ipſi fors obtulit, neque cauſam aliam afferre, cur quid probet, aut vituperet factum, quam quod idem laudent, aut vitio tribuant ii, in quos tanquam in ſpeculum inſpicit; ut non immerito pater ille Horatianus praedicet ſervare ſe traditum ab antiquis morem, cum propoſitis alienis exemplis puerum a vitiis abſterrebat, aut faciendum quid jubens unum e judicibus ſelectis objiciebat. Neſtor enim apud Homerum ob ipſum id, quod olim viri longe fortiores obtemperaſſent monitis ſuis, Achilli, atque Agamemnoni perſuadere contendit, ut pareant ſibi, deſiſtantque a rixa foediſſima: & obſtinato Achillis animo, qui ſummo Graecorum in periculo praelio ſuperſedebat, ea opponit, quae fortiter ipſe, cum floreret

Serm. 4. l. 1.

Iliad. l. 1.

ibid l. 12.

 aeta-

aetate, pro patria gesserat, ut ille ex his documentum caperet, quam turpe esset otiosum se suorum exitii spectatorem praebere eum, qui posset unus depellere.

III. Proxima docendi ratio, quid homini facto opus esset, ex similitudine ducebatur animantium reliquarum, quae persamiliares erant, & imaginem quamdam actionum humanarum praeferunt. Ab iis enim, quae gererent ipsi, quod essent in vita agresti, & inculta paucissima, facile deducebantur homines ad ea consideranda, quae ex ipsa natura animantium, quibuscum plurimum versabantur, educta vi suapte in sensus ultro incurrebant. Tanto enim acutius ea dispicit, quae se extrinsecus offerunt, quanto minus multis distinetur, inque seipso minus est occupatus animus. Quare excitata ab iis, quae saepe cernebantur, ratiocinandi vis rerum objectarum expositas maxime, & insignes notas inter se comparare, & facile, quod homini esset in vita utile, collatione similium perspicere poterat. Sic Hesiodus ex fucorum more, qui labores apum ignavi absumunt,

in op. & dieb.

munt, eos esse Diis, hominibusque invisos arguit; qui cum aetatem traducant inertes, ac desides, aliena diligentia parta abliguriunt. Ex quo factum est, ut historiae animalium scriptores artem, in qua versantur, utilem esse perhibeant & cognoscendae rerum naturae parti nobilissimae, & formandis hominum moribus. Est in Aeliani de animalibus libris, Gesnerus ait, temperamentum quoddam, & harmonia utriusque philosophiae moralis, & naturalis. Ab animantium enim natura, moribus, actionibus passim hominum mores redarguit, & emendat. Tolerabilius, minusque animos commoturum erat hominem conferri homini, & mutua sui generis comparatione, exemplisque incitari. At facta cum brutis collatione vehementissimum adhortandi, increpandique genus est.

IV. Deinceps ex animantibus ad alias naturae partes progressio facta est; & leges obviae, quibus hae reguntur, ad cohibendas hominum cupiditates translatae sunt. Nam cum externa quisque antea cognosceret, quam propria, & sua, qui cupiditatum aestu

minus abrepti essent, aliena traduxerunt ad eorum moderationem, qui motibus animi vehementibus omnia concedenda censuissent. Sic in Phoenissis Euripidis, ut Eteocles ab immoderata ambitione revocaretur, in subsidium vocat Jocasta solis, & noctis vices, & instrumenta ea, quibus examinatur rerum pondus, & magnitudo internoscitur. Quanto, inquit, satius fuit aequalitatem colere, quae socios sociis ligat, urbesque urbibus? Aequalitas enim mensuras, ac ponderum se librantium momenta constituit, & numeros definivit: & obscura noctis facies, & solis jubar lege paritatis annuas explent vices, vincuntque, vincunturque; at invidia vacant, ut usui hominum serviant socialiter. Quae quidem monendi via non erat solum rudibus ingeniis accommodata, quia sensus ipse quodammodo fidem faciebat, sed etiam voluptatis ipsa per se plurimum affert, quod uno intuitu plura labore minimo cognoscenda objiciat, remque aliam ex alia nullo negotio deducendam offerat.

V. Verum cum similitudines hae fusio-

fiorem aliquanto orationem poſcerent, atque praecepti vis expanſa latius hebeſceret, ſenſim praeceptum ipſum, & imago ea, qua veluti vehiculo in animum inferebatur, in unum coaluerunt, ut incitatum, ac vibrans acrius percelleret mentem, in eaque altius imprimeretur. Ex quo profluxerunt, quae paroemiae dicuntur, & translationes ſunt, ut Ariſtoteles ait, a ſpecie ad ſpeciem, eo jucundiores, quo breviores, & contortae celerius. Si quis enim ex eo, quod Carpathii, leporibus in inſulam importatis, frugibus calamitatem acciverunt, perſuadere cuipiam velit, ut abs re poſtmodum nocitura abſtineat, ac dicat, Carpathius leporem, monitum ea ratione oblatum ocyus fertur, animo penitius infigitur, aſſenſumque vehementius elicit. Ita enim fere comparati ſumus, ut cum impreſſionis vivacitate notionis evidentiam confundamus, eaque clarius intelligere nos arbitremur, quibus imaginandi perculſa vis acrius eſt: & quae novitate aliqua commendantur, ea ſtabiliora ſunt ad diuturnitatem memoriae, neque vetuſtate ulla conſeneſcunt. Quare

Rhet. l. 3. c. 11.

re

re Aristoteles apud Synesium in Encomio Calvitii paroemias eleganter vocat antiquae philosophiae maximis in conversionibus rerum humanarum afflictae, ac perditae reliquias propter brevitatem, atque dexteritatem ex interitu elapsas.

VI. Sed cum nescio quo fato corruptioni propiora esse soleant, quae utiliora sunt, paroemiae hae, quae cum minus homines ingenio fiderent, a rebus familiaribus depromptae id solum habebant obscuritatis, quod excitare mentes admiratione aliqua captas ad attentionem posset, in ea paullatim, quae vocantur aenigmata, degenerarunt, atque obscuritate sua popularia ab se pervestigandi studia deterruerunt. Ejusmodi quaedam ex Aegypto deportata sunt a Pythagora, cujus praecepta pleraque non admodum a Hieroglyphicis Aegyptiorum litteris distare Plutarchus ait. Sunt enim oraculorum similia, quae, quidquid accidisset, antea praedixisse videri propterea poterant, quia cum nihil explicate, definiteque significarent, in illa quadrabant egregie sensus omnes, etsi maxime

In lib. de If. & Of.

me diffidentes. Haec autem vel de industria conquisiverunt, ut se populo venditarent, & quae saepe vulgaria proferrent, ex consilio Jovis detulisse quodammodo viderentur; ac vulgus, quod ea fere magis admiratur, quae minus intelligit, nunquam non indigeret interprete; vel cum pauca admodum perspecta haberent, ea contulerunt inter se, quae nullo modo congruere poterant. Rebus enim permultis exploratis opus est, ut, quae maxime conveniunt inter se, deligi possint, ne altera alterius in locum invita, repugnansque substituatur: & cum rei cujusque non una sit quasi facies, sed innumerabiles aliis aliae obvelatae, sagacitate quadam admirabili retegantur oportet, quae singulis in rebus delitescunt qualitates omnes, ut ea, qua res unaquaeque cum altera congruit, optime dignoscatur. Hinc in iis praesertim, quae longe distant inter se, pervidere similitudines, Aristoteles esse praestantis ait, & solerter collineantis ingenii.

l. 3. Rhet. c. 11. & l. de re poet. c. 22.

VII. Ut autem ingenio acuti, atque etiam ambitiosi se se ex iconibus

bus ad paroemias, & involucra tenebricoſa contulerunt; ita mitiores animo, qui ſuavitate magis orationis, quam aculeis delectabantur, ad apologos progreſſi ſunt: & cum illi ſententiarum reconditarum tenebris audientes implicarent, hi narratione facili ſermone explicata jucunde tenebant, ac leviter occupatos, dum iis non ferarum ſolum, ſed & arborum congreſſus, atque colloquia proponebant. Quo ſane artificio id conſecuti ſunt, ut quod homini acerbum eſſet, ac moleſtum in ſe, ſuique ſimilibus intueri, lubens, oculiſque irretortis perſpiciat in iis, a quorum natura procul abeſt; ac interea dum ipſa cupiditate non repugnante in iis, quae longe diſtant a ſe, contemplatur exempla cupiditatis, atque ſtultitiae, quid ex uſu ſibi in vita ſit, aliud agens intelligat. Sic accipiter apud Heſiodum, dum luſciniae illudit, quod etſi canora ſit, in eam tamen vitae, ac necis poteſtatem habeat, monet, imprudentem illum eſſe, qui cum potentioribus contendere velit; quippe quem praeter ignominiam, acerbitates, ac dolo-

in Op. & Dieb.

dolores omnes ſubire neceſſe ſit. Praeter autem quam quod paratiora iſta ſunt, cum ſit, ut Ariſtoteles animadvertit, res vere geſtas invenire ſimiles difficile, fictas autem excogitare facile ei, qui diſpicere poſſit, quae ſimilium conditio ſit, quod ex philoſophia promptum eſt; id habent praeterea conmodi, quod cum doctoris ſit nomen invidioſum, fabulae jucunditate praeceptorum acerbitas temperatur; ut conſilium homines, quod a monitore aperte datum, repudiarent, eo latente exhibitum amplectantur quaſi ſponte natum, aut eductum ab ſe tanquam opus ſuum, ut ait Maximus Tyrius, etiam ament. Quare fabulator ille Phrygius, qui, ut inquit Gellius, non ſevere, non imperioſe praecepit, & cenſuit, quae utilia monitu, ſuaſuque erant, ſed feſtivis apologis involuta in mentes, animoſque hominum cum audiendi quadam illecebra induxit, non ſolum poetis aliis ab Apollonio praeferebatur apud Philoſtratum, quod ii corrumpant audientium aures, animoſque magnis exemplis propoſitis inducant ad amores ne-

Rhet. l. 2. c. 20.

Serm. 29.

Noct. Att. l. 2. c. 19.

l. 5. de Vit. Apoll.

fa-

farios, & opum, regnique cupiditatem; Aesopus autem fabuloso sermone oblato demonstret ex eo, quid agendum, omittendumve sit, ac de rebus non veris aliquid vere dixisse se plane indicet; verum etiam princeps ante septem illos, qui sapientes vocati sunt, a Lysippo sculptus stabat: ideoque laudatur id ab Agathia, quod illi severe, & aspere praecipiant; ludens hic, & jocose seria doceat, ac mentem sermone blando lenitam sanis consiliis imbuat.

Anthol. l. 4. c. 23.

VIII. At interea dum hi res salubriter animadversas apologis obtegebant, easdem alii tegumentis allegoriarum obscurarunt, quae non ex animantium moribus, sed ex aliarum rerum, quas cognoscebant, omnium proprietatibus contexebant sive granditatem quandam consectantes, sive metu aliquo inducti. Fiebat enim interdum, ut eorum, qui monendi essent, audacia, ac potentia dicendi libertas omnis adimeretur. Sic Alcaeus cum Myrsilum, a quo crudeli dominatu Mitylenenses opprimebantur, aperte non auderet insectari, tyranni, ac civium

Heracl. Pont. in Alleg. Hom.

in

in locum tempestatem, ac navem substituit, quae vento afflicta jam naufragium factura esset; ac dum navis obrutae fluctibus calamitatem queritur, servitutem patriae deflet, exagitatque libertatis oppressorem. Quae cum res esset instituta primo necessitatis forte causa, deinceps propter delectationem, atque etiam ostentationem ingenii frequentata est. Sed cum primo rei cujuspiam pervagatae imagine inducta veritas ita celaretur, ut pellucere facile posset, ea sensim opinionibus falsis ita quasi incrustata latere coepit, ut ne suspicarentur quidem ineruditi subesse cortici illi quidquam, ac rei signum pro re ipsa sumerent, in eoque subsisterent. Quam ad rem mira consensione conspirarunt vulgus ipsum, philosophi, ac philosophis poetae succenturiati, quibus interjectis conjunguntur inter se contemplatores, actoresque rerum. Nam ut fabulae sunt, ut ait Maximus Tyrius, mediae scientiam inter, & inscientiam, ita qui Serm. 29. potissimum spartam hanc ornandam sibi susceperunt, commune doctorum atque imperitorum vinculum habendi

sunt

ſunt; quippe qui ſapientiam, cujus ad adita penitiora pertrahi vulgus non poteſt, in conventibus hominum frequentiſſimis verſari perſonatam, ac ſaepe in ſcena hiſtrioniam facere coegerunt.

IX. Ac vulgus ineptum quidem ad ea, quae, plane ut intelligi poſſint, a ſenſuum conſuetudine mentem abductam poſtulant, ad ea vero mirifice propenſum, quae ſpeciem aliquam ad ſenſus movendos accommodatam habent, nova ſubinde comminiſcendi cauſam attulit hominibus, qui populo vel oſtentare ſe, vel duces ad meliora eſſe vellent. Quare levitate, & inſcitia multitudinis audaciores facti, qui ſapientiae laudem affectarent, quidquid erat in vulgus proferendum, conveſtitum id exhibebant imagine aliqua ſenſibus objicienda. Philoſophis autem utiliſſima fuere, & opportuniſſima integumenta haec ad ea omnia ornanda, quae ſibi de rerum univerſa natura finxerant. Poſtquam enim ingenio freti quidam majores nido pennas extenderunt, & a rerum formis, quae patent expoſitae ſenſibus, ad earum naturam intimam, abdi-

abditamque provecti sunt, mira se se portenta de rerum universitatis hujusce causis, ordine, constitutione somniantibus obtulerunt. Ac primo quidem naturam omnem, quod facillimum fuit in obscuritate tanta, diviserunt in res duas, quarum altera, ut verbis utar Tullii l. 1. quaest. Acad. efficiens esset; altera autem quasi huic se praebens ea, quae efficeretur aliquid. In eo quod efficeret, vim esse censebant; in eo autem quod efficeretur, materiam quamdam; in utroque tamen utrumque: neque enim materiam ipsam cohaerere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia. Deum porro vel universum ipsum appellabant, vel vim, seu mentem in omnia fusam, ac varia sub imagine rerum latentem. Ex hoc fonte sua illa sumpsit Aeschylus: & terra, & aether, & poli arx est Jupiter, & cuncta solus; quod cum sententia prima concinit: quodque posteriori congruit, sejunge ab omni sorde mortali Deum. Ignotus ille est: nunc ut implacabilis apparet ignis; nunc tenebris, nunc aquae par ille cerni; In Exc. Grot.

simulat interdum feram, tonitrua, ventos, fulmen, ignes, nubila. Fusam autem per omnes mundi partes esse mentem arbitrabantur eo plane modo, quo per corpus omne nostrum fusam animam existimabant, quae per ossa, ac nervos pertinet tanquam habitus, per principale vero tanquam mens. Nam mundi mens, aut purissimus aether in ea, quae sunt in aere, in animantes, ac stirpes omnes permanare cum sensu conjunctus, terram autem ipsam permeare tanquam habitus a Posidonio credebatur apud Diog. Laert. Et Epicharmo quidquid vitae compos est, mente etiam praeditum videbatur. Pythagoras, quidquid caloris particeps est, vitae item esse, atque ideo plantas esse animantes opinabatur; quae Democriti fuit, & Platonis sententia; easque sensu, cupiditate, tristitia; voluptate permoveri ajebant Anaxagoras, & Empedocles. Immo vero multi, ut est apud Porphyrium de Abst. l. 3. Deorum, & hominum rationem, quemadmodum caeterarum animantium non re differre inter se, sed gradibus tantum quibus-

l. 7. Segm. 139. In Exc. Grot.

Diog. Laert. l. 8. Segm. 28.

Plut. in Quaest. Plat.

Clem. Alex. l. 8. Strom.

Arist. l. 1. de Plant.

busdam existimabant; ut in eodem genere altera perfectior esset, altera deterior: ex quo factum est, ut idearum serie ducti quadam hominem rerum universarum quasi medium statuerent, in quem aucta, vel imminuta desinere possent omnia. Quare cum materia, quam variis nominibus appellata vis permeat, assiduo motu cieatur, inter eas naturae mutationes, fieri subinde posse censebant ex omnibus omnia; quam ad rem nihil aliud necesse erat, quam ut aliquid ab altero secerneretur, aut ad alterum accederet. Hinc ex hominibus Deos, ex Diis homines eduxerunt, eosdemque hos in belluas, & stirpes, & saxa converterunt. Hinc Empedocles apud Aelianum bigenera quaedam elicuit, & in unum corpus natura duplici coalita. Hinc demum effudit se metempsychosis illa, quam ex Aegyptiorum faecibus haustam Pythagoras nobilitavit. Namque ajebant hi migrasse in bovem Osiridis animam, a quo deinceps in posteros transfusa est, referente Diodoro; teste vero Aeliano crocodilum Heliopolitae propterea ode-

Hist. Anim. l. 16. c. 29.

Diod. Sic. l. 1.

Hist. Anim. l. 10. c. 21.

 rant,

rant , quod putarent hujus indutum ſpecie Typhonem Oſiridis interfectorem.

X. Arripuerunt haec avide poetae , ex iiſque tanquam principiis metamorphoſes ſuas, & formas Deorum varias, quibus induti peragrare omnia ſolerent , ut virtutes hominum , ac vitia inſpicerent , quaſi conſectaria deduxerunt. Quas enim rerum mutationes ab aeterno rerum ordine ſe ſe ſubinde explicante prodire temporibus ſtatis philoſophi arbitrabantur, poetae has, quandocunque liberet , aut opus eſſet , inferebant in rerum naturam arbitratu ſuo; qua in re nihil effici ab iis aliud oportebat , quam ut apte collocatae apparerent occaſiones, & cauſae illae , quibus eventus quiſque neceſſitate quadam alligatus eſſet . Hae vero ſaepe arceſſebantur ab aliqua perturbatione animi, ſeu virtute, ac vitio ; quippe quae putarentur ad homines a pravis abſterrendos , honeſtiſque ſtudiis imbuendos aptiſſimae. Sed cum ii , qui miracula conſectabantur, ut eſſent populo admirabiliores , temere coacervarent , & importune obtruderent omne

for-

formae mutatae genus, portenta haec amiserunt fidem, & inter ea spectra numerata sunt, quibus imaginatio oblectari, mundusque poeticus ornari posset actionum, motuum, ac formarum accessione subinde variatus.

XI. Interea vero dum hi sapientiam larvis ejusmodi circumvestiebant, ut esset multitudini spectabilis, ejusdem particulam aliquam alii decerpserunt, & brevi quopiam, acutoque dicto conclusam obtulerunt. Effata haec vel observatione diuturna ex ipsa natura rerum arrepta, vel meditando ex notionibus in mente asservatis expressa plurimum auctoritatis habent tum propter verborum pondus, & gravitatem, quibus devincta sunt, tum propter foecunditatem ipsorum, & accommodationem ad multos vitae casus facilem, & expeditam. Concisa vero brevitas eorundem efficit, ut ab indoctis etiam, aut occupatis nullo negotio ediscantur, & praesto ad nutum animo ubique sint. Quare multitudo imperita crebrius iis utitur, ex iisque fere de rebus bonis, ac malis judicat. Ista profecto tanti fecit antiquitas, ut inscriberentur tem-

plorum foribus, & in edendis oraculis adhiberentur; vel quia propter vetustatem auctor interdum ignorabatur, annumerarentur pronunciatis iis, quae a natura ipsa hausta, & communi aetatum omnium, ac gentium consensu comprobata sunt. Quamobrem ea pueri ediscebant, ut eisdem uterentur aetate corroborata; quemadmodum ait Aeschines oratione contra Ctesiphontem.

XII. At hucusque nihil erat certa ratione, ac via de moribus definitum, quia nondum satis ad id parata mens erat, vel qui potuissent id maxime efficere, se se ad aliarum artium studia contulerant, atque de vita regenda aut omnino non cogitarant, aut si quae meditati essent, ea symbolice ediderant. Quare praecepta morum aliud erant nihil, quam vel collectanea quaedam indigesta commode, breviterque dictorum; vel historiae naturalis omnimode interpolatae consectaria ad mores traducta; vel antiquorum facta praeclara, quae aut hymnis comprehensa inter epulas canebantur, aut admixta ceremoniis Deorum populo propinabantur, aut exaggerata figmentis in scena spectan-

ctanda proferebantur. Tandem Socrates extitit, qui forte incidit in ea tempora, quibus erant Atheniensium mores luxu perditi, & omni flagitio inquinati: Sophistarum autem arrogantia verborum lenociniis, tendiculisque freta dominabatur; adolescentes consuetudine vitae quotidiana corruptos artibus iis imbuebat, quibus in summa rerum inscitia multitudini fucum in concione facerent; ac reipublicae gerendae scientiam omnem terminabat ambitu quodam verborum, atque splendore sententiarum, quae accommodari ad omnia aeque poterant, aut inani lactabant spe multitudinis animos. Quapropter is philosophiam a rebus occultis, ut ait Cicero, & ab ipsa natura involutis avocari, & ad vitam communem adduci oportere censuit; eamque propterea devocavit e coelo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita, & moribus, rebusque bonis, & malis quaerere; vitae praecepta, quae disjecta vagabantur in ordinem quemdam redegit; virtutum notiones obscuras definiendo illustravit; confusas, atque

Tusc. Quae t. l. 3.

implicatas partiendo diſtinxit, & expedivit; ignotas inductione rerum ſimilium inveſtigavit, aliiſque ad inveſtigandum viam explanavit. Hinc Themiſtius eleganter ait, philoſophiam ſparſim habitantem ab eo contractam in unum fuiſſe, quemadmodum Athenas a Theſeo.

Orat. 15.

XIII. Quanta ſcientiae morum obſcuritas eſſet, ac ignoratio, ex iis manifeſtum eſt, quae ſunt a Platone diſputata in dialogis ethicis. Nondum enim conſtitutum erat, quae vis eſſet, ac natura virtutis, cujus in Menone perveſtigatio inſtituitur. Nondum erat definitum, quibus inter ſe notis ſecernerentur juſtum, & injuſtum, quae primo, & ſecundo de Republica perquiruntur. Quid ſanctum eſſet, ac pium omnino non fuiſſe ante Socratem indagatum ex Euthyphrone diſcitur. Qua ex inſcitia factum eſt, ut qui ſe docturos omnia profitebantur, etſi nihil omnino ſcirent, inanibus gerris pondus facile dare poſſent, cum nemo alius haberet quidpiam intelligentia comprehenſum, a quo Sophiſtarum araneae disjicerentur. Neque vero ſolum res

ipſas

ipsas ignorabant, sed rationem etiam, ac viam, qua rerum cognitio certa iniretur, latuisse eos prorsus ex eodem Platone perspicuum est. Nam, ut est in Phaedro, nihil aut mente intelligi, aut oratione explicari potest, nisi quae passim dispersa sunt, ad unam formam quamdam redigantur, ut omnia, quae ratione aliqua conveniunt inter se, definitio una complecti queat; ac vicissim quae coacta in unum sunt, in partes gradatim tribuantur, ut evolvi singula distincte possint. Ac rursus in Philebo, quoniam, inquit Socrates, quae semper sunt, unum, ac multa sunt, & innatum habent terminum quemdam, ac simul infinitum, ea ut inquiramus, atque alios doceamus, invenienda primum est forma illa, qua continentur omnia; quae cum inventa sit, recensenda porro singula sunt, ut non solum sciamus unum, & multa, & infinita esse, sed & ea multa quot sint; neque multis eisdem ideam infiniti prius adjungamus, quam eorum omnium, quae interjecta sunt inter unum, & infinitum, habeamus numerum plane perspectum. Quod eo recidit,

cidit, ut quia genus eſt unum, generi vero ſubjectae ſpecies multae, & ſingularia, quae ſubjiciuntur his, infinita ſunt, antequam ad ſingularia deſcendamus, generis inventi ſpecies gradatim omnes luſtrandae nobis, ac percenſendae ſint. Ut autem ibidem eſt, qui tum ſapientiae laudem captabant, interpoſita tranſilientes, ab uno continuo pergebant ad infinitum; quae longe diſtabant inter ſe, ut eſt in Politico, cogebant in unum ſimilia rati, cum debuiſſent tum demum, quae cognata ſunt, includere finibus unius, ejuſdemque generis, ubi diſſimilitudines, quae in partibus eſſent, omnes exploraviſſent. Quare in Sophiſta aperte dicitur iis haud innotuiſſe artificium, uſumque diviſionis, quod in cauſa fuit, ut verborum inopes eſſent. Nam quo notiones magis involutae ſunt, eo pauciora ſigna poſtulant, quibus enunciari poſſint: quo ſunt partitae diſtinctius, eo vocabulorum copiam uberiorem augeri neceſſe eſt, ut ſua cuique nota tribuatur, qua, cum efferenda eſt, internoſci queat. Nihil igitur ſanum, nihil enucleatum ab iis expectari

ri

ri poterat, qui neque veritatem assecuti erant, neque viam tenebant, qua veritas inquirenda est; artemque disserendi, & dicendi, qua se magnifice efferebant, nugis meris, & inani verborum strepitu definiebant. Quorum ut fastum Socrates retunderet, sapientiam eam, qua vere unus excellebat, celebri illa dissimulatione sua contegendam censuit, ne quos eo volebat adducere, ut se nihil omnino scire cogerentur fateri, prius averteret a congressu suo, quam alacres effudissent scientiam omnem, qua maxime confidebant, eamque nullam esse interrogationibus hominis erudiri volentis irretiti intelligerent. Praeterea cum esset eloquentissimus, artemque dicendi docuisset primus, ut est apud Diogenem Laertium, humili, neglectoque sermone utebatur, ut Alcibiades ait in Convivio Platonis; ut quorum se discipulum simulabat, iis animos adderet ad expromendam audacius eloquentiae supellectilem eam, in qua se ostentabant, & cum fallaces illae quasi merces essent omnes productae, suis ipsis indiciis earundem inanitas proderetur. Quare nihil afferens

ipse

ipſe de ſuo, ſed ea, quae adverſarius dederat, in partes omnes verſans, eo demum ſenſim progrediendo compingebat illum, ut quae paullo ante confidenter aſſeverarat, ea defendi non poſſe confiteretur. Sed interea dum ſerviens tempori conferebat operae plus ad aliena convellenda, quam aſtruenda ſua, viſus quibuſdam eſt docuiſſe magis quid eſſet in rebus dubium, quam quid certum, ac verum; & concuſſiſſe magis, quam confirmaſſe fun-
in Nub. damenta veri, ac boni. Quod anſam Ariſtophani dedit ad illum inſimulandum, quaſi revocaret in dubium ea, quae certiſſima ſunt, ac vera eſſe magni noſtra refert; ac tantum in re quaque veriſimilitudinis eſſe contenderet, quantum ei quis adjungere callide poſſet orationis fuco, & fallaciis. Quamobrem eorum anteſignanum invidioſe vocat, qui ſe ſe in poteſtate habere gloriabantur ſermonem utrumque, ſuperior qui dicitur, & inferior, qui videlicet rebus eiſdem veritatis aeque, ac falſitatis colorem inducere poteſt. Verum etſi, ne a propoſito ſuo diſcederet, Socrates affirmaret

ret

ret nihil, quaerendo tamen, & evellendis opinionibus a ratione alienis efficiebat, ut quid esset summum bonum, quae naturae hominum suas in facultates dispertitae responderent virtutes, ac vitia, facile quisque colligeret.

XIV. Hisce institutis, quasi classicum cecinisset, ad excolendam morum philosophiam admirabiliter excitavit hominum studia; sed cum nova potius adinvenisse, quam inventa didicisse, vel absolvisse inchoata videri quisque vellet, miseris eam modis saepe deformarunt, ac novas identidem formas induere coegerunt. Nunc enim caperata fronte, barba horrida, sordidoque palliolo prodibat, exhaustoque rubore omni foedissima quaeque procax admittebat; nunc vestimentis lauta mollibus, & unguentis delibuta convivia delicata venabatur, nec turpe ducebat hominibus sumptuosis supparasitari. Nonnunquam hortulorum amoenitate delectata, facilique victu contenta, desidiosa capiebat in otio, & languore voluptatem: nonnunquam civilibus undis mersabatur, opesque omnes, quae sunt a natura, ac fortuna impertitae congerebat,

Philosophia Cynica

Cyrenaica

Epicurea

Peripatetica

bat, ut iis apte adminiſtratis uberrime, quid eſſe poſſet in vita commodi, perciperet. Interdum rebus humanis altius evecta divinas contemplabatur, quae ſempiternae ſunt, mentemque noſtram a corpore ſevocatam reducendam curabat ad mentem eam, ex qua decerpta credebatur; interdum contemnens homines, ac Deos, & univerſa ducens infra ſe poſita, cum Jove ipſo de libertate, & imperio certabat, ſeque facturam pollicebatur audacter illos & reges, & Deos, qui ſibi relictis aliis adhaererent. Quandoque demum ſuſpenſa fluctuabat, & incerta quaerebat, ubi pedem figeret; quandoque deſperans id inveniri poſſe, nullum unquam domicilium certum, ac ſedem ſtabilem habitura ſuſque deque jactabatur arbitrio caſuum incertorum. Demum eam quiſque ſpecie illa veſtivit, quae ſibi maxime in promptu eſſet, aut in deliciis.

Platonica

Stoica

Sceptica

Acataleptica

XV. Nam Plato cum eſſet ingenio ſummo praeditus, omnique doctrina expolitus, & in utraque facultate, quod paucis contigit, par, ea videlicet pervidendi, quae ſejuncta a concretione

ne mortali abstractae a sensu menti tantummodo patent, & ea, quae mente percipiuntur, sensibus ipsis exhibendi quasi colorata, ac magnifice illuminata, res hasce duas inter se disjunctissimas una componens, ex utraque conflatum dicendi genus attulit, quod verborum splendore, rerumque pictura pigmentis omnibus illita delectat saepe magis, quam doceat. Et quidem crebro tam intemperanter orationi calamistros adhibuit, ut non solum a Philosophi hominis severitate desciverit, sed etiam vicisse poetarum audaciam dicendus sit. Hinc eum quidam, ut apud Longinum est, suggillarunt, quod in translationes immoderatas, & allegoricum tumorem correptus quasi furore quodam efferatur; atque a Dionysio Halicarnassensi notatus est eo nomine, quod lemniscos verborum studiosius fuerit, quam rerum pondus, consectatus. Quare dum a sensilibus ad insensilia, a rerum imaginibus perpetuo fluentibus ad rerum species ipsas, quae neque gignuntur, neque interiturae sunt unquam, traducit animos, ut umbrarum harum con-

de Sublim. c. 28.

de Grav. orat. Demost.

consuetudine contractus error luce veritatis eluatur, allegoricis involucris omnia praetexens retrahit ad umbras easdem, & sublustri nitore quodam occupatos ita afficit, ut admiratione potius obstupefactos dimittat, quam evidentia collustratos. Cum enim poetarum omnes undique flosculos collegisset, & numerorum mysteria, doctrinamque idearum ab Epicharmo adumbratam penitus introspexisset, coegit in unum haec omnia se se vicissim impedientia, perque flexuosa, & fabulosis imaginibus intersperfa circumductos eo quosque trahit, ubi se nemo recognoscat, sed ipsa rerum universitate circumfusus absorbeatur, ac denuo conjunctus cum mente summa, ex qua delibatus est, se se Deum esse credat. Nam, ut ex sensu Platonis Tullius, Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui praevidet, qui tam regit, & moderatur id corpus, cui praepositus est, quam hunc mundum princeps ille Deus; ut minime videri mirum debeat, si tam multi ex hac disciplina fanatici, lymphatique prodierunt, ac tam multa poeticis decora

In somn. Scip. c. 8.

fabu-

fabulis arrepta a poetis avide, & ad faſtidium uſque inculcata ſunt.

XVI. Contra Ariſtoteles aeque ſummae facultatis, ac ſeveriſſimi judicii vir id ſibi arrogare uni jure ſuo poteſt, quod a Maximo Tyrio de philoſophis generatim dictum eſt; ejus enim corroborata mens, & impatiens aenigmatum ex involucris exſculpſit philoſophiam, exuitque mundo ſuo, ac nudis eſt verbis uſus. Ratiocinationes aſtrinxit legibus definitis, & undique enucleatis; a ſingulis ad univerſa progreditur, quae ſola ſcientiam gignere poſſunt; quorum cum experientia ipſa primus aditus ſit, planior eſt, ac tutior progreſſus; nam quiſque compertum habet, unde digreſſus fuerit, & quam viam inſiſtat, & quo ſibi contendendum ſit. Atque, ut attingamus quod ad rem maxime facit, cum Plato mundum hunc univerſum (utar enim verbis Tullii) unam civitatem eſſe communem hominum, ac Deorum, hominesque Deorum agnatione, & gente teneri exiſtimaret; ob eamque rem praeceptionibus ſuis immenſitatem tantam amplexus eſſet,

Max. Tyr. ſerm. 29.

De Leg. l. 1. c. 7.

quanta ab hominibus in rebus agendis occupatis difficile comprehendi potest, Aristoteli visum est opportunius unumquemque putari non mundi universi, sed unius tantum reipublicae civem, atque ad hunc morum doctrinam accommodari; quod eam cognationem, quae astrictior esset, & mutuis, ac manifestis officiis corroborata, valere plus ad homines in officio continendos arbitraretur, quam quae tam longe, lateque protendatur, ut exaequet infinitatem naturae semotam a captu communi hominum, qui praeceptis instituendi sunt. Quare dum Plato Arithmeticae, Geometriae, atque Astronomiae ope homines a concretis ad intelligibilia, a sensibus ad mentem evehere nititur, animumque prorsus a corpore separandum esse docet; Aristoteles eo quemque duxit, quo, qui vitam civilem agit, aspirandum esse persuaderi sibi facile sinat; & quae videbat nullo modo pati homines, ut e manibus extorqueantur, iis qua ratione recte uti possent, ostendit. Nam qui praeceptis suis iis tantum consulit, qui rerum intelligibilium contempla-

tione

tione contenti sint ad beate vivendum, gentis humanae partem maximam ducit aut contemnendam, quod est superbissimum, aut ad miserias unice natam, quod cum absurdum est, tum inhumanum, ac ferum. Hinc Plato ipse, qui non hominum, sed mentium a corpore sejunctarum societatem instituere conatus est, eamque devincire communione rerum earum, quae sensuum vim omnem fugiunt, ne tamen a multitudine plane repudietur, ei sensuum, ac rerum externarum usum concedit, & virtutes, quas civiles appellat, positas esse decernit in mediocritate ea, quam fuse deinceps Aristoteles persecutus est, & philosophi plerique amplexi sunt. Atque ad hanc astruendam, aut exornandam alii ex alia disciplina, ac scientia praesidia deduxerunt. Plato enim ex sonorum legibus l. de Rep. 4. aurium judicio comprobatis eas leges eduxit, quibus apte summi cum infimis temperati cives, tanquam soni dispares, consocientur, & simplicem quasi concentum efficiant: idemque in singulis facultates animae concupiscentem, irascentem, & rationalem ex interval-

lis iis moderandas esse praescripsit, quibus inter se summus, & imus, & medius in fidibus nervi respondebant. Quae Plutarchus explicans attributam a Platone rationem summae, iram mediae, cupiditatem infimae chordae putat; cum rationis ea natura sit, ut imperet; irae, ut regat, & regatur adjutrix rationis, & assectatrix; cupiditatis demum, ut omnino pareat; quippe quae plane rationis impos a Platone creditur. Ptolemaeus autem rem promovit longius. Non enim solum rationalem facultatem cum dia-pason, irascentem illi proximam cum dia-pente, & concupiscentem a rationali remotiorem cum dia-tessaron congruere censuit; verum etiam facultati cuique virtutes tot adscripsit, quot sunt consonantiae cujusque species; tres nempe concupiscenti, quatuor irascenti, septem denique rationali. Nam concupiscentis, inquit, ut consonantiae dia-tessaron, tres sunt virtutes; temperantia in contemnendis voluptatibus; continentia in perferenda indigentia; & verecundia in vitandis turpibus: irascentis, ut consonantiae dia-pente, quatuor;

In Quaest. Plutonicis

Harmon. l. 3. c. 5.

man-

manſuetudo videlicet in ira cohibenda; intrepidus animus in reprimendis terroribus impendentium calamitatum; fortitudo in deſpiciendis periculis; ac tolerantia in laboribus ſuſtinendis: rationalis demum ſeptem ſunt, ut dia-paſon; nimirum acumen, cujus eſt expedite moveri; ingenium, cujus eſt collineare; perſpicacia, qua res diſcernuntur; judicium, quo de rebus recte ſtatuitur; ſapientia, quae in contemplatione; prudentia, quae in actione; & peritia, quae in exercitatione verſatur. Rurſus cum jam diviſiſſet ſonos in uniſonos, conſonos, & concinnos; uniſonoſque vocaſſet eos, qui dia-paſon conſtituunt; conſonos, qui dia-pente, & dia-teſſaron; concinnos denique eos, qui tonici ſunt, & quotquot componunt conſonantiarum minimam; quae, inquit, ad rectum mentis, & rationis uſum ſpectant, uniſonis aſſimilantur; conſonis autem, quae pertinent ad ſenſuum, & corporis aptam conſtitutionem, ad fortitudinem, ac temperantiam; concinnis porro, quae referuntur ad affectionem aliquam; univerſae demum perfecti ſyſtematis harmoniae

morum universa philosophia congruit; ut & virtus animorum quaedam concinnitas, & concinnitas virtus quaedam sonorum appellanda sit. Aristoteles vero sitas esse virtutes in medio quodam probat ex natura tum affectionum omnium, quae eo, quod nimium, & eo, quod parum est, intereunt; tum magnitudinis sive continuatae, sive disjunctae, qua in omni majus, minus, & aequale sumi potest. Sed haec generatim attigit Aristoteles: at Pythagoraei, qui magnitudinis disjunctae, seu numerorum doctrinae se se totos addixerant, ea distinctius executi sunt. Nicomachus enim Gerasenus in deductione ad scientiam numerorum a Jamblicho exposita, cum numerum, qui per se par est, & omnino liber ab affinitate imparis, alium esse docuisset plusquam perfectum, alium deficientem, eique contrarium, alium demum perfectum, & inter utrumque medium; alium scilicet, quo major est summa confecta ex partibus, in quas dividi potest; alium, quo minor; alium, cui prorsus aequalis eadem summa est; numerum perfectum, qui primus post unitatem est

Eudem. l. 2. c. 1. Eth. Nicomach. l. 2. c. 6.

sena-

ſenarius , aſſumpſit ad virtutum demonſtrationem , quae non extrema quaedam eſſe ait , ut viſum nonnullis , ſed media inter id, quod nimium eſt, & id , quod parum ; & opponi quidem malum malo; utrumque vero uni bono ; bonum autem bono nunquam , ſed duobus malis ſimul ; ut audaciae timiditatem , quibus ignavia communis eſt ; audaciam autem , atque timiditatem fortitudini . In eo pariter ſimilitudinem virtutis , ac vitii cum numero perfecto , & ſuperante , ſive deficiente eſſe ſtatuit , quod ſuperfluos numeros , ac diminutos longe multos , infinitoſque reperias nullis ordinibus paſſim , inordinateque diſpoſitos , & a nullo certo fine generatos ; contra perfectos raro invenias , eoſque facile numerabiles ; quippe qui pauci ſint nimis conſtanti ordine procreati . Raritas enim perfecti numeri, tanquam boni cujuſpiam , non varii , multiplicifque mali , naturae lege unum tantum exhibet in numeris , qui ſunt infra denarium ; unum in denariis , qui ſunt infra centenarium ; unum in centenariis , qui ſunt infra chilia-

Boeth. a Te-null. cit. ad hunc locum.

dem ; atque ita deinceps in infinitum .

XVII. Interea vero dum ex hisce principiis isti virtutis ad humanam societatem accommodatae fundamenta repetebant ; quippe quae reddat hominem actuosum, & aptum ad ea gerenda, quae ut confici possint, omnes omnibus indigent ; alii ex fontibus aliis eam virtutem derivare conati sunt, quae dum seorsum quemque perficere creditur, vinculum societatis maximum abscindit quodammodo. Nam Zeno, qui morum insita severitate delatus sordibus detersis, ac defricata impudentia disciplinam Cynicorum excoluit, atque nobilitavit ; cum in ea esset opinione, ut putaret animam nostram particulam esse mundanae animae, purissimi videlicet aetheris universa pervadentis ; naturam autem Deum ipsum esse mundo permixtum, ignem nempe rationis, ordinisque participem, ac nominibus insignitum variis pro partium varietate, quas dum permeat, alias alia forma induit ; iccirco docuit hominis finem ultimum esse Deum sequi, seu consentanee naturae vivere , seu sensibus adhaerere

animi

animi cujusque proprii, qui ſit e materiae craſſioris laqueis expeditus, neque prohibeatur inſita ſibi perfectione frui. Quoniam enim Deus eſt animus cujuſque, perfectus eſt ipſe per ſe. Quamobrem id unum curare debet, ut impedimenta arceat, quibus uſus abſolutae naturae ſuae purus, atque ſincerus intercipi poteſt. Haec autem impedimenta proveniunt ab iis, quae ſunt extra nos, & nullo conſilio noſtro mutari poſſunt; quippe quae fato regi Stoici arbitrantur, vi nempe quadam univerſum hoc ordine gubernante, quae conſtans eſt. Quare Zeno cenſuit eſſe oportere a ſapiente aliena externa omnia; ne ſapiens, ſiquae non ſunt in poteſtate ſua, pertinere ad ſe credat, opinionibus temerariis, ac motibus perturbatis exagitetur; quo nihil adverſum magis eſt naturae ſtabilitati, & conſtantiae. Se ſe igitur animus ad ſe retrahat oportet, in ſe uno ponat omnia, ſibique ſufficiat unus, ut liber omnino ſit. Etſi vero ſempiterna rerum ſerie implicetur animus etiam ſapientis, nihil ei tamen de libertate ſua delibatur, quod ea ipſa faciat,

quae,

quae, si nulla fati necessitas cogeret, electurus esset, ac judicio suo gerens, & administrans omnia, fatum sequatur libens, non invitus a fato trahatur, ut insipiens vulgus, ac servum solet.

XVIII. Contra Epicurus cum putaret universa casu jactari, sapientiam, atque constantiam omnem removisset a rerum universitate; seriemque causarum discidisset, quae se se explicantes a summa quadam in eandem revolvantur; genus humanum universi partem esse voluit omnino divulsam ab aliis; exsolvitque potestate, ac metu Deorum, quos procul ablegatos locavit in intermundiis otiosos, ne quod ii nobis negotium facessant, aut eisdem nos molesti simus, ex quo tranquillitas animi perturbetur. Homines autem in libertatem vindicatos, exemptosque cura omni potestatis ejus, quae mundum universum regit, rerum etiam harum, quae nos propius attingunt, obsidentque, dominatu liberare conatur, quantum potest. Cum enim cupiditatum, quibus iis alligamur, atque subjicimur, alias excitari videret

a na-

a natura ipsa, alias opinione, quae naturae conformis, & a natura aliena esse potest; atque ob id naturales esse quasdam, ac necessarias; naturales multas, at non necessarias; plerasque vero neque necessarias, neque naturales; primo cupiditates omnes inanes eradicandas esse duxit; deinde circumcidi jussit eas etiam, quae non indigentiae succurrunt, sed varietatem voluptatum faciunt, nimirum, ne perturbata, curisque plena degenda vita sit. Zeno igitur, & Epicurus diversis ex oris solventes, eodem recidunt, ut sapientem indigere quam paucissimis arbitrentur, & una quasi tantisper itinere facto diducuntur, alter ut omnem provocet audax fortunae vim, & cum ea pedem conferat robore animi, sapientiaque fretus; alter ut eandem cautus subterfugiat, incursusque declinet, ne sit ei cum labore aliquo molesto pugnandum; uterque metu omni liberati; quod ille universi naturam, qua involutus est, ultro sibi sequendam existimet; hic autem sollicitus de se uno, nihil eam ad se pertinere putet, a qua sit omnino disjunctus.

XIX.

XIX. Atque ad haec summa capita revocari possunt, qnae de vita instituenda a philosophis invecta sunt. Vel enim extulerunt ad superna hominem, vel ad humana devocarunt; suaque praecepta direxerunt in primis utrique ad vitam aut socialem, aut solitariam. Siquidem alii sapientem suum evehere contenderunt ad earum formarum contemplationem, quae sempiternae sunt, & cum singulae complectantur universa, quae sunt generis ejusdem, harum ope mentes inter se consociare studuerunt avectas a sensibili ad mundum intelligibilem, quem omnes aeque participare possunt: alii cives informarunt ad res gerendas, & excolenda officia ea, quibus mutuo sibi prodessent ad omnes vitae commoditates: alii cum se quisque mundi partem ipsam per se perfectam arbitrarentur, se se maxime dimovebant ab aliis, & vincula omnia dissolvebant, quibus ad vitae civilis communitatem allicimur, ne quid a constantia, quam sibi finxerant, abscedere cogerentur, si conjuncti cum iis essent, qui motibus variis agitari solent. Nam sapiens qui sit inter ipsos

sos

ſos nullius miſeretur, parcit nulli, caeteroſque omnes amentes eſſe, ſervos, fugitivos putat: alii demum conſulere ſibi quemque debere ſtatuerunt, neque ſe negotiis aliorum adjungere, ne quid inde moleſtiae ſibi arceſſat, aut detrahat voluptatis, ſi forte digitum unum diſcedat ex hortulis ſuis, aut ex his caput proferat. Omnes autem virtutem eſſe neceſſariam exiſtimarunt vel ad purgandum animum, ut liberius, expeditiuſque contemplationi vacet; vel ad efficiendum eundem rebus agendis aptum; vel ad eam firmitatem adipiſcendam, ut, ſi fractus illabatur orbis, aut in tauro Phalaridis uſtuletur, ſapiens tamen quietus ſit, ac ſecurus: alii tandem ad acquirendam animi tranquillitatem, ac voluptatem liquidiorem. Verum dum Philoſophi magis quam par ſit, extollunt homines, aut obdurant, aut enervant, ineptos eos reddunt ad civiles uſus; ac dum ſive reluctantes protrudunt in invia, ſive proniores per devexa propellunt, labefactant utroſque, & avertunt ab iis, quae felicitatis humanae fundamenta natura jecit.

XX.

XX. Quae cum omnia fluxerint ex opinionibus iis de natura rerum, ad quas erant forte delati vel affectione animi cuique propria, vel analogia incerta quapiam, & obscura; factum est, ut rationem distorserint, aut infuscarint illi in primis, qui rationi perficiendae operam navasse maximam videbantur. Nam fere qui valet ingenio plurimum, eoque sine intermissione utitur, dum fastidit, quae in promptu sunt, ac rimatur abdita, circumseptus tenebris iis, in quibus haec demersa latent, imagines ipse sibi rerum vanas adornat, easque arbitratu suo colorat, & comit; ac somniantium more, cum nunquam species hasce cum rebus ipsis conferat, ei ne subolet quidem nebulam esse, quam Junonem credit. Ac si forte mens aliquando experrecta sit, seque ad res ipsas referat, attenuata jam speculationibus vanis, ea sustinere non potest, quorum ut impressio quasi recipi possit, substratu quodammodo solidiore quodam opus est. Quare, quod ponderosius est, per attenuatae, futilisque mentis quasi rimas elabitur, effluitque; quod est levius, expansum-

que

que latius detinetur ipsa levitate sua. Frustra igitur vitae leges a natura praescriptas, ac ratione sana quaereret quispiam ex sententiis philosophorum; cum saepe rationi sincerae, ac purae non magis infesti vulgi mores temerarii fuerint, quam industria doctorum quorumdam; ut non injuria Seneca philosophiam non in remedium animi, sed in exercitationem inventam ingenii, multisque periculi causam fuisse conquestus sit.

De Benef. l. 7. c. 1. Ep. 103.


VENETIIS

APUD SIMONEM OCCHI

MDCCXL.

Err.	Corr.
P. 5. *Ep. Nunc.* intelligentie	intelligentia
p. 6. quodan	quodam
p. 7. e	&
ibid. comiius	comius
p. V excitat	excitant
p. VIII. qui dqud	quidque
p. IX. ſenti	ſentit
p. XIV. qui	quae
p. XVI. comprimas	comprimat
p. XIX. praedat	praedae
p. XXV. At	Ap
p. XXXVIII. pene	pone
p. LII. Dialog.	Diog.
p. LXIV. promoveri	permoveri






GIUSEPPE
CARTOLAIO
FIRENZE





